

05

A

950





D. T. O. M. A.

ספר חייב

# LIBER VITÆ

factaq; ab æternô

## IN EUNDEM INSCRIPTIO,

Disquisitione publicâ Theologicâ,

*SUB PRÆSIDIO*

*VIRI Maximè Reverendi, Magnifici, Amplissimi  
atq; Excellentissimi,*

### DN. JOHANNIS MEISNERI,

Doct̃oris Theologi, Prof. Publ. celebratissimi, Venerandi Collegii Theologici Senioris, Templi omnium Sanctorum Præpositi gravissimi, Synedrii Ecclesiastici Adsefforis dignissimi, meritissimi &c.

*Dn. Patroni, Præceptoris, Hospitis ac Promotoris sui* παλαρθεύτης, ἐπιμορφότης,

In Electorali Wittebergâ proponebantur


*A U T O R E*

### M. FRIDERICO KETTNERO,

Stolbergâ-Misnico.

*Ad diem Decembr. M. DC. LXIV.*

In Auditoriô Majori.




WITTEBERGÆ,

Ex Offic. Typogr. MICHAELIS Wendt.

SERENISS. AC. POTENTISS.  
ELECTORIS. SAXONIÆ.  
IN. ECCLESIASTICO. PROTO-SYNEDRIO,  
QVOD. DRESDÆ. EST.  
PER-ILLUSTRI. ATQVE. CELSO.  
PRÆSIDI. AC. DOMINO.  
**DNO. CAROLO.**  
LIB. BARONI. à FRISEN.  
DYNASTÆ. IN. Rôthaw. &c.  
CONSILII. SECRETIORIS. DICTATORI.  
DOMINO. SUO. BENIGNISS. GRATIOSISS.  
NEC. NON. ET.  
RELIQVIS. VIRIS. SUMMIS.  
REVERENDISS. MAGNIFICIS. NOBILISS.  
AMPLISS. CONSULTISS.  
**EJUSDEM. SUMMI. SENATUS.**  
**ADSESSORIBUS. EMINEN-**  
**TISS. GRAVISS. MERITISS.**  
**DOMINIS. PATRON. OPT. MAX.**  
MOECENAT. SUMM. PROMOTOR. PRIMAR.  
EVERGETIS. OBSERVANDISS. COLENDISS.  
ECC. HUMILLIMÆ. MENTIS. EXEMPLUM. PIÆ.  
GRATITUD. MONUMENTUM. FAVORIS.  
GRATIOSI. AUGMENT. HOC. EST.  
LIBRUM. VITÆ.  
SUMM. ANIM. OBSERVANTIA. SUBMISS.  
MENTIS. DEVOTIONE. SACRUM. JUBET.  
M. FRIDERICUS. KETTNER. STOLBERG. *Sezenis*  
*Elect. Alumn.*  
FRANCIS. ELECT. ALUMN.





IN NOMINE CHRISTI.

ΑΠΟ ΤΗΣ ΖΩΗΣ ΑΡΧΗΣ ΖΗΣΗΣ ΚΑΙ ΤΕΛΕΥΤΑΝ ΕΙΣ  
ΤΗΤΟΝ.

DE LIBRO VITÆ ET INSCRI-  
PTIONE IN EUNDEM,  
CAPUT I.

*Quod proœmiale est, & propositum thema ab  
ambiguitate liberat.*

§. I.



In quavis aliâ, tum in hac po-  
tissimùm Disputatione verissi-  
mum deprehendimus Philosophi mo-  
nitum l. i. Topic. c. 14. *Facile, quid sit id, de  
quo queritur, potest intelligi, si explanatum  
sit, quot modis illud dicatur.* Etenim quia  
nobis de Libro Vitæ acturis viâ debitâ h.  
e. methodicâ procedendum est, meritò Philosophum sequi-  
mur, *πολυσημασίαν & ὀνόματα* & ante omnia in da antes. Li-  
brum Vitæ considerabimus è Scripturâ, *quot ergò modis in  
Scripturâ vel dicatur, vel cui tribuatur, vel quid ab aliis libris  
Deo tributis differat, aut in quò singuli conveniant,* brevibus di-  
cendum est.

§. II. Viderat sublimitatis Aquila D. Johannes in Apo-  
calypsi suâ Dominicâ *libros & librum* in conspectu Throni  
Dei. *Libros*, è quibus mortui iudicati sunt *καὶ τὰ ἔργα αὐτῶν* :  
*librum*, qui vitæ est, prout edocemur cap. xx, 12. Plures itaq;  
Deo in Scripturis libri assignantur, quàm hic unus, qui vitæ  
dicitur. Loquimur de libris, *qui DEO assignantur*, unde vel  
primò intuitu patet, hujus loci non esse, quos assignare for-

ezenis



tassis ipsi quis possit; nec illum, quem pleriq; cum Augustino ex Apoc. l. c. vel malè intellecto, vel corrupto vocant *Βίβλου τῆς ζωῆς ἐκείνης*. V. Suarez in Thom. Tr. II. l. I. c. xx. p. 208. Cæterùm in illorum explicatione ita procedemus, ut dicatur (α.) quot sint (β) quid invicem differant vel conveniant, & (γ) cui & quomodo tribuantur.

§. III. Tot Deo libros tribuimus, quot Scriptura. Tribuit autem tres potissimùm (1.) *librum universalem*, qui aliàs aliò nomine dicitur liber *τῆς προνοίας* s. providentiæ (2.) in statu contractiori *librum specialem*, qui est *ἔκρινμα* s. iudicii (3.) *specialissimum τῆς ζωῆς* s. vitæ; quorum hic solos electos assignatos habet; ille solos peccatores; iste verò indiscriminatum omnes tam justos, quàm peccatores continet; imò nec homines solùm, sed & alias creaturas.

§. IV. *Liber Universalis* s. providentiæ describitur à Davide Psal. cxxxix, 16. quòd in eò omnes dies nostri scripti fuerint, qui futuri erant, etiam cum nondum extabat unus ex illis: quod Lutherus notanter reddidit de diebus vitæ: *Alle meine Tage waren auf dein Buch geschrieben / die noch werden solten / und derselben keiner da war.* A D. Johanne Apoc. v, 1. vocatur *liber scriptus intus & foris, & septem sigillis signatus*, ut intelligamus, eum rerum cognitarum & revelandarum copiâ undiquaq; refertum & plenum esse, non sècus ac sicut in membranis materiam ita abundantem videmus, ut à parte tam interiori, quàm exteriori descripta sit. Ubi equidem non ignoramus, in quot hic divortia Commentatores abeant; *alii* enim per librum intus & foris scriptum *utrumq; Testamentum* & per septem sigilla præcipua Christi mysteria intelligunt, cujus sententiæ fuerunt August. Orig. Hilar. & alii Patres: *alii* vero *ipsum Christum* notatum volunt *cum septem Redemptionis nostræ mysteriis*, qualia sunt Incarnatio, nativitas, passio, resurrectio, adscensio, missio SS. & adventus ad iudicium, quæ opinio Bernharδο adscribitur; *alii* deniq; *per ipsam apocalypsin* explicant. Sed omnium optima explicatio nobis heic placet, quæ celeberrimis nostratium Theologis placet, quod sc. h. l. ipsius *divinæ providentiæ liber*  
indi-

indigitetur, in quam rem videri potest B Meisner. in Anthropol. dec. 2. disp. xv. Quòd verò liber hic *signatus* dicitur, eo ipsò *gubernamenta divinae providentiae occulta* esse perdocemur; quòd *sigillatus* postea septem sigillis, numerò perfectò & aptò religionis, ut Pythagoras vocabat. *providentiae divinae perfectio* ob oculos ponitur. Vocatur aliàs hic liber naturæ, gubernationis, creaturarum &c.

§. v. Libro providentiæ subordinatur *judicii liber*, quem vidit Daniel c. vii, 9. 10. in conspectu antiqui dierum. Quem librum Augustinus interpretatur de *Sanctis*, qui cum Christo ad iudicium venturi sunt; Beda *Scripturam* intelligit, Barradius *librum conscientiae*; Maldonatus autem per illum accusatorum *objectiones* & Patronorum *responsiones* notari putat. Sed quâ ratione Sanctos vel Apostolos libros iudicii divini vocabimus, cum illi potius *assessores iudicii* perhibeantur? Matth. xix, 28. Deinde liber conscientiae *hominis* potius *liber* est, quàm Dei. Ut taceam, in conscientiiis hominum non remanere singula ipsorù opera scripta, sed facile oblivione obliterari. *Objectiones* verò & *responsiones* hunc librum esse nimis longè petitum est. Optima Interpretatio videtur, quæ hos libros de exactâ Dei omnium dictorum factorumq; notitiâ explicat. Sicut enim liber in genere, quando Deo tribuitur, nihil aliud est, quàm summa ejus scientia, quò de inferiùs plura differemus; ita nec necessitas cogit, ut hic alium ab illò sensum quæramus.

§. vi. Sed si aliquis quæsierit, quâ de causâ *πληθυντικῶς* dicatur, *libros esse apertos*, tum id ideò factum putabimus, quò varia scientia & *multiplex DEI cognitio* innuatur. Vel quod sentit B. noster Hutterus LL. CC. Art. xxii. contro. 9. spec. q. 6. ideò hos libros in plurali numerò dictos censeamus, quia non una atq; eadem, sed diversa planè & alia quidem, de electis, alia de reprobis sententia promulgabitur. *Re & actu liber unus est, at virtute & ratione plures, quatenus plurium hominum facta continent*, inquit Suarez. in Thom. tr. 2. l. i. c. 20. Ratio enim unicam hanc notitiam inadæquatis conceptibus *pro varietate objectorum*, ad quæ extenditur, solet dispescere, quo sensu minimè plures in Deo notitias facimus, sed hæc

pluralitas potius in pluralitate objectorum, quam in Deo subjectivè (quod contra naturam ipsius esset) fundata est. Sic eodem modo Apoc. xx, 12. in plurali numerò libri aperti dicuntur: quanquam hæc alii aliter explicent. V. B. Gerhard. in Not. ad Apocal. c. xx, 12.

§. VII. Tertijs, qui h. l. considerandus est, quemq; impræsentiarum nostri instituti propriè volumus, *liber vitæ* dicitur, is verò *non temporalis, aut vocatis quoq; communis*, uti Zanchius & Franc. Junius contendunt, *sed æternus & singularis*, in quò singulariter electorum nomina annotata sunt: *non materialis* aut propriè dictus, qualis S. Sacra dici potest, *sed qui immaterialis* est & metaphoricè talis, notatq; notitiam Dei, non absolutam, simplicem aut universalem, *sed limitatam, approbativam & specialem*, quâ Deus solos electos specialiter, certò ac infallibiliter novit.

§. VIII. Neq; multiplex est hic liber, sed *unus unitate essentia*. Equidem Thomas de Aquino Tom. 1. part. 1. q. 24. art. 1. Pererius, Becanus T. 1. oper. c. 14. q. 8. *tres vitæ libros* faciunt, *unum* in quo Electi ipsi scribantur ad vitam; *alterum* modi, quò perveniri possit ad vitam, *tertium* verò, in quò facta & gesta electorù annotentur. Verùm id *minus rectè* dicitur; nam Scriptura semper, quando meminit, unius vitæ libri meminit, ubi & nomina & gesta fortè assignata sint. Quod si verò maximè liber aliquis esse concedatur, in quò facta & gesta electorum conscripta sint, ille tamen vix alius erit, quam quem antea *judicii* diximus. Deinde quoad secundum, in quò modus perveniendi ad vitam descriptus sit, intelliguntq; S. Sacram, *liber materialis cum immateriali* malè confunditur.

§. IX. Distinguuntur ergo hi libri in *librum providentiæ, judicii & vitæ*. Addit his Calvinista Polanus quartum, quem vocat *Scripturæ*. Non adeo benè. Liber n. Scripturæ, uti modo diximus, materialis est & propriè dictus, qui inter *metaphoricos* & impropriè tales numerari non debet. V. ejus Syst. Theol. 1. 2. c. 35. Suarez adjicit *librum mortis* in Thom. tr. 2. l. 1. c. 20. Verùm hic sermo non est, quot Deo libri tribui *na*

*divis-*



ἀναλογία possint, sed quot ipsi Scriptura tribuat; eumq; per librum vitæ notitia Dei indiget, Deus autem reprobos ignorare potius, quam novisse dicatur, ideo malumus loqui cum Scripturâ, quâ tacente itidem libenter tacere. Scriptura librum vitæ nobis exhibet, eumq; solum ad Electionem restringit. Cæterum quod & Scriptura sic appellari possit, non negamus, interim abstinentes cum Scripturâ, ut eò felicius liber vitæ à Scripturæ distingui queat. Eodem modo Sixti Senensis quoque se distributio habet, quam vide sis apud B. Meisn. l. c.

§. x. Diximus antea, quod hi libri *materiales* non sint, quia Deus, cui assignantur, non indiget ullò librò materiali, in quò vel decreta sua, vel facta nostra annotet; πάντα δὲ γυμναὶ καὶ τετραχληλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῶν, ut loquitur Autor Epistolæ ad Hebræos c. iv, 13. Sed Scriptura loquitur κατὰ ἰκονομίαν & συγκατάβασιν, more desumptò à more loquendi hominum; quòd uti homines res & actus memorabiles in libris annotare solemus: ita Deus ad nostri morem metaphoricè res & personas fidelium assignare dicitur. ἀνθρώποις γὰρ ἔστιν ἀνθρώπων ἡ γραφή λέγεται, inquit Procopius. Quæcunq; ergo Deus nobiscum loquitur humano modò, ea à nobis intelligenda sunt divino modò, ne in Deò aliquam imperfectionem, perfectà imperfectè explicando, inducamus. Hinc per librum in genere nihil aliud intelligimus, quàm infallibilem Dei notitiam. V. Magnif. Dn. Præses in Disp. de Libr. Vit. th. 2.

§. xi. Nunc ultimò locò collatio horum librorum quoq; instituenda est, ut quid vel convenient vel differant, elucescat. Quoad *conceptum convenientiæ*, omnes sunt metaphoricè tales, omnes notitiam Dei significant, omnes non nisi Deo insunt, omnes à solò Deò scribuntur. Quoad verò *differentiæ conceptum*, differunt primò ut *latius* & *angustius*; liber providentiæ universalis est; vitæ & iudicii sunt particulares. Differunt porrò *ratione fundamenti*; Liber enim providentiæ pro fundamento habet affectum Dei paternum generalem; iudicii ejus justitiam & sanctitatem; vitæ gratiam & mise-

misericordiam specialem. Quæ differentia verò tantum *rationis ratiocinata* est, ut loquuntur, quia in re fundatur ob diversa, quæ hic realiter dantur, objecta atq; fundamenta.

## CAPUT II.

### *Ubi Fundamenta libri vitæ diligentius è Scripturâ, tanquam principiò cognoscendi, eruuntur.*

§. XII. Diximus de libris, qui Deo assignantur *in genere*, nunc propius paulo ad illum, circa quem occupati erimus Librum VITÆ, fundamenta de ipsius *existentiâ* è Scripturâ, quæ sola *principium cognoscendi* hic est, diligentius eruturi. Ratio enim ex suis principiis hac de re judicare non potest, cum sit mysterium à seculis absconditum, Rom. xvi. Et uti *ex ratione*, ipsò Sohniò teste, *de prædestinatione judicandum non est, ita nec de libro vitæ electorum*, quippe qui eodem recidit. Hinc Liber Christ. Concord. rectè ait, *rationi humanæ extra & citra verbum DEI hoc mysterium pensanti locum nullum esse relinquendum*. Interim verò mens non est, quòd omnem planè rationis *usum* velimus hic excludere, quòd tantum abest, ut statuamus, ut potius rationem *necessariam* dicamus. Est enim & suus ipsi concursus. Concurrit ut *subjectum* perficiendum ac informandum, ut *informata* & *effectivè* quòq; & *organicè* suos *actus producat*, cum nemo sine actibus intellectus intelligere queat, uti disserit Dn. D. Müller. Quæst. Select. Semicent. i. q. 34. Libenter ergo rationis *usum* damus, damus ipsam *ut subjectum*, damus quoque ejus *effectus*, verum quòd penes eam *judicium* aliquod decisivum, directivum aut imperativum obtinere debeat, hoc negando negamus. Adde, quòd ipsa huic rei decidendæ planè sit impar ac insufficiens, sibi enim relicta non intelligit, quæ spiritus Dei sunt, 1. Cor. ii, 14. & sapientiam Dei in hoc mysteriò *ἀποκρυφωμένην* nemo Principum seculi cognovit, Rom. xvi, 26. 1. Cor. ii, 7. 13. Versatur ratio in iis, quæ *sub ipsâ* sunt, at quæ *supra ipsam*, comprehendere nequit.

§. XIII. Alia idcirco via quàm ratio quærenda est, quâ  
ad

ad perfectiorem huius mysterii cognitionem adscendatur, eaq; sola Scriptura est, cui soli solum hoc imperium manet, quod principium sit, quod norma ac regula controversiarum fidei. Hinc merito applicatur, quod Theologi alias de prædestinatione dicunt: Inscriptio in librum vitæ non à priori, sed à posteriori consideranda est h.e. non absq; verbò ullas cogitationes suscipiendas in tam arduo negotiò, sed ex verbò de tota re statuendum est, prout id pluribus explicat B. Hunnius de prædest.

§. XIV. Nec obstat, si ex Calvinii mente excipere velis, mysterium hoc esse absconditum, esse occultum, esse arcanum, cum id expresse falsum sit, & Apostolo κτ̄̄ σ̄μα contradicat. Revelavit enim Deus hanc doctrinam γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τῆς θελήματός αὐτοῦ, Eph 1,9. Aut si omne DEI consilium de salute nostra revelatum est, teste Paulo in Actis c. xx, 27. quid amplius in hoc Salutis nostræ consilio considerabimus? Et profectò quicquid revelatum est, id absconditum esse non potest, nec arcanum, nec occultum. Id equidem non inus inficias, multa in transcendenti hoc negotiò, quod Hunnius vocat l.c., quoad in hoc seculo vivimus, manere inaccessa, absit tamen, ut vel minimam insufficientiam statuamus, quasi mysterium tam arduum, tamq; necessarium sufficienter revelatum non sit, habeatq; Deus arcanam adhuc voluntatem, quam in hoc opere nondum revelaverit, ut Calviniani volunt. Scripturam sequemur, quæ cum omnem voluntatem Dei revelatam dicat, ipsius veritati merito cedimus credimusq;. Tandem verò si vel maximè concedamus, dari voluntatem Dei arcanam, probandum adhuc erat, hanc à revelata diversam aut oppositam esse. Etenim quam nos in verbo Evangelii voluntatem revelatam habemus, eam ipsam statuendam esse æternum & immutabile decretum, consilium & beneplacitum DEI de electione nostrâ asserimus cum B. nostro Huttero in LL. CC. art. 22. in Diexodo p. 769.

§. xv. Dicitur est, quod Voluntas hæc Dei in verbo Evangelii revelata sit, id enim h. l. quæri solet: an doctrina de Inscriptio in librum Vitæ sit doctrina legis, an Evangelii? Nam

B

cum

cum unicè, ex verbo revelato judicandum sit de hac materia, hoc autem distinguatur in legem & Evangelium, meritò jure illa quæstio ventilatur. Sic in Loco de Satisfactione movetur, *an Christus pœnas sustinuerit secundum legem, an verò secundum Evangelium?* Ast quemadmodum ibi malè respondetur, quòd secundum Evangelium: ita hic æquè malè, si secundum legem dicamus. Evangelium est *verbum gratiæ*, non pœnæ. E. secundum illud CHRISTUS puniri non debebat, nedum poterat. Loquor de pœnâ legali in se, non de translatione pœnæ in CHRISTUM, quæ Evangelica est. Lex est *verbum justitiæ*. Erg. secundum hoc inscriptio in librum vitæ facta dici non potest, utpote cum sit opus misericordiæ & gratiæ. *Lex non agit de hominis peccatoris salvatione, aut ad salutem destinatione, sed potiùs de illius eternâ maledictione & damnatione*, uti B. Hunnius loquitur l. c. maledictus, maledictus &c. Deut. xxvii. Similiter B. Hutterus l. c. *Verbum DEI solum est, inquit, ex quò universa hujus mysterii tractatio petenda est, ut in quo nihil prætermissum, quod salutis negotium spectat: sed nec ex omni verbò mysterium illud addiscere licet, lex enim Mosis verbum quidem Dei est, sed cum doctrina hac nihil commune habet.*

§. xvi. Verbum itaq; Evangelii *fundamentum doctrinale* est hujus mysterii. In hoc voluntatem Dei explanatam videmus. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, inquit Salvator Christus, Joh. vi. ut omnis, qui videt Filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et ex hoc unicè fundamento nostra quoque nunc *fundamenta pro libro vitæ* petemus, ut ne quis de vera ejus existentia, deq; Inscriptionis veritate dubius hæreat ac incertus. Sunt autem ea loca *partim*, in quibus hic liber *absolutè* ponitur; *partim* in quibus *cum addito* determinatur, *partim* verò in quibus *Synonymicè* declaratur. *Primæ classis* primus locus est, qui Dan. xii, i. invenitur, ubi Propheta: *In tempore illo, inquit, salvabitur populus tuus, omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro.* Sic Exod. xxxii, 32. Moses inquit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Cui respondit Dominus: *Qui peccaverit mihi, eum delebo de libro meo.* Quem locum licet

c et alii per librum legis interpretentur, alii librum providentiæ intelligant, alii catalogum heroum, vel, ut Cajetanus vocat, librum principatus, alii librum gratiæ; circumstantiæ tamen si accuratè perpendantur, librum vitæ notari, satis luculenter ostendunt. Qua de re Waltherus in Harm. Bibl. in Exod. xxxii. p. 231. Magnif. Dn. Præses in disp. de Lib. Vit. th. i. §. 19. & nos infra pluribus cap. ult.

§. xvii. *Secunda Classis* ea loca adducit, quæ librum hunc cum addito determinant, & disertam libri Vitæ mentionem injiciunt, ut Psal. lxxix, 29. ubi David: *Deleantur, ait, de libro viventium & cum justis non scribantur*, quem locum infra dilucidabimus. Sic Phil. iv, 3. nomina Clementis & cæterorum Pauli adjutorum *in libro vitæ* esse dicuntur. Sic Apoc. iii, 5. Johanni dicitur: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro Vitæ.* c. xvii, 8. *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi.* Sic c. xx, 12. *alius liber apertus vitæ* dicitur & v. 15. *Qui in libro vitæ non inventus fuerit, in stagnum ignis mittetur.* & c. xxii, 19. *Si quis diminuerit de verbis libri prophetia hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ & de civitate sancta & de his quæ scripta sunt in isto libro.* Interdum verò duplex determinatio additur, ut quando *liber vitæ agni* dicitur, Apoc. xiii, 8. c. xxi, 26. *partim*, ut B. Meisn Anthrop. l. c. explicat, quia agnus scripsit, *partim* quia agnus inscriptionem acquisivit, *partim* quia agnus fide apprehensus hujus libri fundamentum est, *partim* deniq; quia agnus hunc librum olim in extremo judicio aperiet h. e. manifestabit, quinam in eo scripti sint, qui non, id enim apertio h. l. notat.

§. xviii. *Classis ultima Synonymorum* est, quæ licet non iisdem verbis, rem tamen eandem significant. Sic Ezech. xiii, 9. vocatur hic liber *Scriptura Domus Israel*, Luc. x, 20. *Scriptio nominum in cælis*, ubi juxta Suaresium in Thom. i. part. i. tr. 2. l. 1. c. 20. cælorum nomine significari videtur ipsa Dei essentia, quæ est cælum per essentiam s. nominando humano more contentum à continente. Sic Ebr. xii, 23. dicitur *conscriptio in cælis*: cui opponitur, quando Jer. xvii, 13. dicitur, *recedentes à Deo in terrâ descriptos* iri, quoniam dereliquerunt ve-

nam aquarum viventium. Pari sensu dicitur quoque Inscriptio in librum vitæ alio nomine ex I. Thesl. v, 9. *Ἰεσὺς εἰς ὠφειποῖνον σωτηρίας*, Act. XIII, 48. vocatur *ordinatio ad salutem*. Sic qui in librum vitæ assignati sunt, dicuntur Es. IV, 4. *scripti in vitâ Jerusalem*, ubi Propheta non loquitur de beneficiô aliquo corporali, sed de adventu Messiaë, sub quo tria promittit beneficia spiritualia, sanctificationem, defensionem & electionem, quam describit per scriptionem in vitis Jerusalem. Lutherus reddidit: *der geschrieben ist unter die Lebendigen zu Jerusalem*. V. B. Meisn. l. c. p. 173. Es. XLIX. *quorum nomen in manu DEI scriptum est*. I. Sam. XXV. *quorum anima fasciculô viventium involuta est*. Matth. XXV. *quibus paratum est regnum ab initio*. Quæ singula *ὀφθαλμοφανῶς* ostendunt, esse librum vitæ, darique Inscriptionem in eundem, quid autem propriè sit, quidve in eundem Inscriptio, enucleabit

### CAPUT III.

#### *Quod explanat conceptum quidditatis.*

§. XIX. *Neq;* enim hic liber ipse Christus est, quod Hugo Cardinalis & Sixtus Senensis putarunt, quorum ille, citante Magn. Dn. Præfide l. c. in Apocal. censet, librum vitæ agni esse ipsum agnum, ex ea ratione, quod ipse sit mens DEI, unde sicut domus est in mente artificis, priusquam fiat actio: sic omnia ait fuisse in ipso, qui omnium est exemplar & idea. Hic verò l. 2. Bibl. Sanct. hanc denominandi rationem affert, quia sc. Christus in ligno crucis velut liber quidam conspicuus expansus fuerit, aptatus non papyro aut membrana, sed ipsa carne & membris; scriptus non atramentô, sed pretioso sanguine; non calamis, sed clavis. Verùm hanc piam potius meditationem & allegoricam locutionem dixerim, quàm rei formalem rationem. Distincta enim utique sunt *scribens*, & liber, *qui scribitur*. Si autem Christus ipse est hic liber, tum sequitur, quod ipse seipsum scribat, quod *ἀνεργλογίας* est. Quid? quod in extremo iudiciô hic liber aperiendus est, quâ ratione verò Christus tum seipsum aperire dicetur? Conf. Apoc. XX, 12.

§. XX. Sic

§. xx. Sic non ignoramus, multos Patres *hac allegoria* usos esse. Ipse Liber Concordiæ & B. Lutherus sic docent. At non quòd *precisè & formaliter* ita res habeat, sed quòd *allegoricè* explicari sic possit. *Alioquin* (verba sunt Magn. Dn. Præfidis l. c. §. 29.) *si phrasin Scripturæ & modum loquendi in ea expressum, uti par est, sequi velimus, sicut ipsa aliter de Christo & aliter rursus de libro vitæ loqui solet, ita nos pariter unum ab altero distinguere oportet.* Hinc licet hic liber vitæ agni dicatur, non tamen *in casu recto* liber vitæ agnus. Malè consequentia à casu obliquo ad rectum institueretur.

§. xxi. Neq; tamen præfractè refragabimur, si quis hunc librum *ipsum Deum* certo modo dixerit. Cùm enim liber Deo attributus aliter, quàm per ejus notitiam explicari vix possit, notitia autem Dei ab ipso Deo non nisi formaliter & juxta nostrum concipiendi modum distinguatur, ideo non peccabit, qui ipsum Deum ita vocet. Uti enim voluntas & potentia Dei ipse Deus est, æternitas quoq; Dei divina essentia, prout August. ait l. 7. Confess. c. 4. ita nec notitia Dei à Deo realiter distincta est. Id, quòd ipse Philosophus in pari exemplo videtur innuere, asserens l. 12. Metaph. text. 51. Deum esse suum intelligere t. 39. Deum esse suam æternitatem t. 37. Deum esse simplicem substantiam, &c. Ut adeò rectè dixerit Leo P. de attributis quibusdam Dei in specie: *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est, sed multi participes sunt veritatis, sapientia & justitia: solus autem Deus nullius participationis est indigens, de quo quicquid dignè utcunq; sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Quare si juxta hujus præceptum dignè de Deo sentire velimus, notitia ejus (hic liber est) non ut qualitas, sed ut ipsa essentia consideranda. Augustinus l. 20. de Civ. D. ait, quòd liber vitæ fit *quadam vis divina*, quâ fiet, ut cuicunq; opera sua bona vel mala in memoriam reducantur. At neq; sic res, uti debet, attingitur; hæc enim descriptio *libro judicii* potius, quàm vitæ tribuenda est. Nos librum vitæ *notitiam* Dei dicimus *specialem*, quæ notitia *entitativè & materialiter* ipse Deus est, uti Thomas loquitur. Quia tamen *ratione nostri*, quæ in Deo sunt unum, ut plura apparent,

rent, hinc intellectus creatus æquivalenter ob imperfectio-  
nem suam Deum cognoscendo in plura quasi dividit, concipi-  
pitq; unum primò, post aliud, variisque conceptibus unum  
simplex & indivisum objectum, secundum hujusmodi conce-  
ptiones imperfectè intellectum, sibi repræsentat. Et hoc mo-  
do librum h. e. notitiam Dei ab essentia diversam concipi-  
mus, cum tamen *in se & actu diversa* non sit.

§. XXII. Hinc aliter Dei *essentia*, aliter ejus *notitia* concipi-  
pitur. Et porro, ubi notitiam Dei concepisti, concepisti li-  
brum, quem Scriptura tribuit. Nam ut rectè Thomas Aquina-  
nas part. I. q. 24. art. I. ait, *liber in DEO dicitur metaphoricè secun-  
dum similitudinem à rebus humanis acceptam*: sicut enim con-  
suetum est apud homines, quòd illi, qui ad aliquid eligun-  
tur, conscribuntur in libro, utpote milites & consiliarii, qui  
olim dicebantur *Patres Conscripti*: ita liber vitæ in Deo im-  
portat notitiam prædestinatorum. Idem sentit Thomas à  
Vio Cajetanus in Thom. ad h. I. *Liber vitæ*, inquit, *in DEO  
metaphoricè dictus, est firma notitia significativa prædestinatorum.*  
*Firmam* dicit hanc notitiam, quia sicut conscriptio in libris  
materialibus fit ad succurrendum memoriæ: ita hoc ipso  
contrà memoriæ divinæ firmitas significatur. *Significativam*,  
quod uti ex ratione metaphoræ scriptura libri est signum a-  
gendorum: ita notitia Dei est signum repræsentans ipsi per-  
ducendos in vitam æternam. Hoc ipsum Judæis quoq; li-  
quet, quibus hic liber dicitur ספר חיים. Unde Majmon.  
More Nev. c. XLVII. (quem citat Hotting. Thesaur. Phil. I. 2. c. 2.  
de libris Apocryphis) *Per metaphoram*, inquit, *liber DEO tri-  
buitur*, quâ Metaphorâ Scriptores Sacri voluerunt, uti scribit  
Menasse Ben Israel de Res. mort., *coram DEO omnia manifesta  
& in propatulo esse, quæcunq; hic in terris à nobis sunt, & quod fa-  
ctorum nostrorum accuratam quasi rationem ineat.* Nos Chri-  
stiani sumimus hunc librum pro *prædestinationis notitiâ*, quâ  
Deus firmiter retinet non tantum, uti Thomas loquitur, se  
aliquos prædestinâsse ad vitam æternam; sed etiam quos  
præcisè. Huc pertinet, quod Theophylactus ait, quòd Liber  
hic ε μέλανι, ἀλλὰ μνήμη θεῶν καὶ χάριτι scriptus sit. Elegan-  
ter



ter hunc librum definit Magn. Dn. Præses l. c. th. 2. quòd sit *notitia DEI specialis*, in quâ ceu catalogo quodam nomina eorum scripta sunt, quos Pater cœlestis ab eterno ex gratia propter Christi meritum ad vitam eternam elegit. Dicitur catalogus metaphoricè, non quòd Deus tali catalogo materiali indigeat, sed quòd suos tanquam in catalogo ante oculos habeat. Novit enim dominus, qui sint sui, 2. Tim. II. 19. *Nec DEUS eos nescit, & in hoc libro legit, ut sciat, sed potius ipsa ejus præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est Vitæ*, inquit August. l. xx. de Civ. D. c. xv. Et Anselmus super Phil. IV. Tom. 2. *Nomina eorum scripta sunt in libro Vitæ i. e. assignata tenentur ad vitam in memoria divina prædestinationis.*

§. XXIII. Dicitur autem hic liber Vitæ, quòd *ambiguè* potest intelligi *vel de vitâ gloriæ, vel gratiæ, vel naturæ.* Sed sciendum est librum hîc dici solùm & propriè *respectu vitæ gloriæ.* Hinc, Thoma dicente, importat solùm notitiam electorum ad vitam gloriæ. Nam id, ad quòd aliquis eligitur, habet rationem finis, & non competit eligendo per suam naturam. Sed cum vita gratiæ talem rationem finis non habeat, sed potius rationem ejus, quòd est ad finem, uti Thomas disputat; ergo finis supra naturam existens est vita gloriæ. Cæterùm respectu vitæ naturæ non est electio, nec liber Vitæ. Eadem mens est Vazquezii ad h. l. Thomæ.

§. XXIV. Inde etiam colligitur, librum vitæ ita dici, non quia à DEO, qui quidem vita essentialis audit, scriptus est; nec quatenus *in DEO* scriptus est, sic enim nihil obstat, quò minus librum judicii & providentiæ quoquè librum vitæ dicamus: sed *ratione inscriptorum*, quia non nisi viventes in hunc librum inscribuntur, vel *ratione termini*, quia inscripti ad vitam gloriæ inscripti sunt. *Particula illa, vitæ*, inquit Suarez, *non significat materiam, in qua scriptio facta est, sed objectum, quòd inscribitur, vel terminum, ad quem inscribuntur.* Quòd eleganter Magn. Dn. Præses l. c. per similia quædam exempla illustratum dedit, ut quemadmodum arbor vitæ, Gen. II, 9. via vitæ Act. II, 28. dux vitæ Act. III, 15. lignum vitæ Apoc. II, 7. ideò hoc nomine determinantur, quia hominem vel *in vitâ*  
con-

conservant, vel *ad eam* ducunt, ita liber vitæ talis dicatur, quia qui in eum scribuntur, ad vitam æternam inscribuntur.

§. xxv. Atq; hæc de ipso libro præmittere placuit; nunc ad *Inscriptionem*, ut quid per eam intelligatur, clarescat. Uti verò liber propriè dictus locum hîc non habet, ita nec *Inscriptio* aliter explicanda, quàm *more modog, DEO debito*. Et quia ille *ἀνθρωποποιῶς*, Deo assignatur, notat autem *θεοπεποιῶς*, ejus notitiam, ideo hæc eodem modò attribuitur, ut propriè nihil aliud significet, quàm *decernere, ordinare, separare, eligere, &c.* Vazquez. in Thom. i. q. 24. art. inquit, quòd *per translationem* res aliqua in intellectu alicujus descripta esse dicatur, non prout intellectus imperio suo illius est principium, sed prout memoriâ retinetur. Sic Thomas ibid. *dicitur aliquid*, ait, *conscriptum in intellectu alicujus metaphoricè, quod in memoria firmiter tenet*. Nos ita procedemus; *alia* scriptio est in *charta*, *alia* in *corde*; *alia* in *membrana*, *alia* in *mente*; illa propriè talis est, hæc impropria: hanc Deo concedimus, illa locum non habet. Iterum *alia* fit *per naturam & implantationem*; *alia* per *doctrinam & institutionem*; *alia* verò per *memoriam & receptionem*: illo modo notitia Dei naturalis s. τὸ γνωστὸν τῶν θεῶν cordibus gentium implantatum dicitur, Rom. i, 19. καὶ τὸ ἔργον τῶν νόμων γεγραπτόν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, Rom. ii, 15. isto modo Corinthii dicuntur esse Epistola Christi scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi 2. Cor. iii, 2.3. Hoc verò jubemur Dei legem describere in tabulis cordis nostri, Prov. vii, 3. At neutra harum Deo accommodari posse videtur, nisi fortè, quàm per memoriam diximus. Cavendum tamen, ne *receptionem aliquam*, quæ imperfectionem inferat, in Deo statuamus. Alius hic potius sensus indagandus, ille nim. qui meliùs per inscriptionem in librum vitæ ipsam electionem ad vitam intelligit. Sunt enim electio & *Inscriptio termini planè convertibiles*, ut rectè dicam: Quicumq; est electus, ille est in librum vitæ scriptus, & contra. Nam sicut ille, qui ab æterno eligitur, separatur à cœtu non-salvandorum: ita qui in librum vitæ inscribitur, assignatur in numerum electorum. Atq; id- ipsum erat, quòd supra debebamus dicere, ubi *Synonyma* quæ-

quædam adduximus. Idem est prædestinatio, quod Inscriptio in librum vitæ: neutiquam verò *abstracta* illa Calvinianorum quorundam (qui alio nomine Supralapsarii dicebantur) prædestinatio, quam *præscindere* ajunt ab electione & reprobatione, quâ ratione etiam reprobi prædestinati s. quod nobis idem est, in librum vitæ inscripti essent: *sed orthodoxa* orthodoxorum, ordinata & hypothetica.

§. XXVI. Quæ prædestinatio licet ab Inscriptione *realiter* & *secundum se* non differat, nec à libro vitæ *actu* distingui possit, negari tamen non potest, quòd aliqua, dicam insignis, ipsi cum hoc *differentia formalis* intercedat. Jesuita Becanus Tom. I. Oper. c. XIV. q. 8. ait, prædestinationem & librum vitæ differre hoc modo, quòd *illa sit conceptio mediæ*, quibus Deus prævideat aliquos perducendos ad vitam cum propositione ea media conferendi; *hic verò sit cognitio, quâ Deus cognoscat, qui perventuri sint ad vitam*, pergitq; librū vitæ prædestinationem sequi, eamq; quasi obsignare. Quod quidem aliquo modo rem explicat, sed melius ipse Thomas dilucidat, asserens, prædestinationem esse *actum intellectus practici per modum imperii*, qui præcedat res futuras & scientiam speculativam illarum. Liber autem vitæ sit *actus intellectus speculativi*, quatenus ad memoriam refertur, prout ita mentem Thomæ explicat Vazquez q. 24. art. 1. Hæc assertio in se quidem bona est, sed tamen non absolute tolerabilis; cum enim, uti postea dicemus, liber vitæ *non mere* sit actus intellectus speculativi, quasi Deus rem nudè cognoscat, & in illa cognitione acquiescat; sed Deus ita suos cognoscit, ut simul curet; ideo illa cognitio, quia in cognitione non persistit, mere speculativa non est. Nos cum B. Meisnero Anthrop. dec. 2. disp. 15. hanc differentiam constituimus: *Liber vitæ catalogus* est, ubi electi consignantur, *prædestinatio verò & Inscriptio sunt actio* Dei consignantis: *ille ad intellectum* pertinet, *hec voluntatis* est; *ille decernentis* est notitia, *hec ipsum decretum*; *ille præcedit, hæc sequitur*: sicut notitia decernendi præcedit ipsum decretum.

§. XXVII. Dicunt nonnulli Inscriptionem in librum Vitæ *duplicem* esse, *temporalem* unam, quæ in Baptismo fiat, ubi

C

Chri-

Christo viti tanquam palmites inseramur; alteram *aternam*,  
quæ nihil aliud sit quam ipsa electio. Verum videtur hæc  
sententia aliquà durior, *tum* quia hæc *locutio* tantum est *Eccle-*  
*sia*, non Scripturæ; *tum* quia Inscriptio in librum Vitæ sic eva-  
dit *mutabilis*; *tum* quia sic *renati* omnes *electi* erunt, & conse-  
quenter, quotquot baptifantur. Deinde forsan hæc assertio  
ex illa promanavit hypothefi, quâ Christum esse librum vitæ  
statuitur, quo de supra diximus. Cæterum distingui potest  
*inter librum vitæ & gratiæ*; concedimus, quòd baptifati infe-  
rantur in librum gratiæ, negamus autem, quòd in librum vi-  
tæ, quâ distinctione salvatâ res ipsa negari non potest, quan-  
quam nec ita hæc Scriptura eloquatur, ut quæ hanc implan-  
tationem mysticam *insertionem ad gratiam* potius, quam inscri-  
ptionem in librum gratiæ nominat. Baptifati renati sunt,  
renati verò & inscripti in librum vitæ differunt ut laxius &  
strictius. Illi sunt omnes etiam semel tantum fide donati: hi  
verò in fide perseverantes. Nam omnes quidem inscripti  
in librum vitæ sunt renati, sed non omnes renati sunt inscri-  
pti. V. Brochmand. Syst. Theol. art. de prædest. p. 251. Omnis  
salvabitur illo tempore, qui in libro scriptus inventus est, in-  
quit Daniel cap. XII, I. Atqui non omnes salvabuntur renati,  
sed ii tantum, qui in fide perseverant. E. nec omnes renati  
pro inscriptis indiscriminatim sunt habendi.

§. XXVIII. Hæc omnia ut in unum conferamus compen-  
dium, tandem ita definiiri potest Inscriptio in librum vitæ,  
quòd sit actus divinæ Voluntatis consequentis, Deo ex æter-  
nitate conveniens & merè gratuitus, quò intuitu meriti Chri-  
sti quosdam homines, quos finaliter in fide perseverantes &  
non petulanter gratiam oblatam rejecturos præviderat, à  
cœtu damnandorum separavit, & ad vitam æternam speciali-  
ter & nominatenus ordinavit in sui laudem & ipsorum san-  
ctimoniam. Dicimus *actum*, non externum & transeuntem,  
sed *internum, perpetuum & immanentem*; quò ipsò simul innue-  
re volumus, inscriptionem hanc non esse nudum decretum,  
quod Deus in tempore exequatur, sed actualem & æternam  
separationem quorundam hominum à cœtu non-salvando-  
rum,

rum, antequam in rerum naturâ existant. V. B. Hulfem. Brev. c. xv. th. 5. Dicimus actum, ut dicatur, esse *actum communem* totius SS. Trinitatis, tanquam *opus ad extra*, quod ad creaturas terminativè exseritur. Dicimus *actum DEO ex aeternitate convenientem* contra eos, qui statuunt, Deum quidem ab æterno sibi proposuisse inscribere, sed non nisi in tempore propositum illud exercere. Dicimus *actum voluntatis*, ut supponatur, Deum nos inscripsisse, quia voluit, egit enim ex gratia & benevolentia, quo ipsô tamen intellectus minimè excluditur, sed uti voluntas supponitur, ita hic præsupponitur, sicut verba definitionis ostendunt. Dicimus verò *actum voluntatis consequentis*, quia Deus voluit ordinatè; non absolutè, sed per has vel illas condiciones, per has vel illas circumstantias. Verum de his sequentia clariùs. Sequitur

## CAPUT IV.

### *Quod agit de Principiò agendi.*

§. xxix. Omnis actio agendi habet principium, unde in agendo dependeat. Quare cum Inscriptionem actum diximus, suum ipsa quoq; *principium* habere dicenda est; idq; duplex, ut Philosophi distinguunt, *quod & quò*. Illud est principale & cui principaliter actio tribuitur: hoc, quo agens in sua actione agit. Illud nobis hic Deus Trinus est, hoc ejus intellectus & voluntas. Quoad illud quæri solet ex Thom. part. i. q. 23. art. 1. *an prædestinatio s. Inscriptio in librum vitæ soli DEO conveniat*. Fuerunt sanè, Augustino teste, qui hanc in Deo esse negaverunt, prout ipsum citat Suarez l. i. tr. 2. c. 1. Affirmativam rectè probat Thomas & cum ipso Suarez l. c. ex opposito, quòd nullus homo id præstare potuerit, tum quia *finis* Inscriptionis, qui vita æterna est, *hominis naturam excedit & facultatem*, tum quia prædestinatio sit *species providentiæ divinæ*, cujus est rem ad certum finem ordinare: at finis in hoc opere supra naturam hominis erat, quemq; suis viribus attingere vix poterat, nedum ordinare. Ergo relinquebatur, ut à solo Deo finis iste supernaturalis, vita æterna, ad hominem

nem transmitteretur, id quod factum per gratuitam præde-  
 stinationem, vocationem, justificationem, & glorificationem.  
 Cæterum *de necessitate convenientiæ s. libertate*, liberéne Deo, an  
 necessariò hæc actio competat, satis anxie disputant Schola-  
 stici. Nos & liberam & necessariam hanc actionem dicimus,  
 at ratione diversa. Sicut enim Incarnatio libera erat respe-  
 ctu *DEI volentis*; necessaria respectu *hominis indigentis*: ita  
 absolutè quidem necessaria prædestinatio in Deo non erat,  
 necessaria tamen *necessitate congruitatis*, ut Suarez loquitur, s.  
 convenientiæ; vel factâ suppositione de statu hominis, quæ  
 suppositio verò libertatem in Deo non sustulit, sed ejus usum  
 potiùs præsupponebat. Quidni ideò hæc actio Deo libera  
 competat? Extitit Inscriptio ante creaturas existentes, nunc  
 autem nemo nisi solus Deus ante creaturas extitit. E. solus  
 ipse ad vitam destinavit, ac destinare potuit. Porrò: solus jus  
 habet de hominibus peccatoribus statuendi. *Num quid sicut*  
*figulus iste non potero vobis facere?* inquit Dominus, *ecce, sicut*  
*lutum in manu figuli, sic vos in manu meâ domus Israel*, Jer. XVIII, 6.  
 Ipse solus jus habet de bonis suis, prout ipse vult, dispensan-  
 di. Et quid aliud sibi expressa Scripturæ Testimonia vo-  
 lunt? Sanè quoties Deum nos elegisse Scriptura clamat, to-  
 ties clamat, nos in librum vitæ inscripsisse. *Benedictus DEUS*  
*& Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui benedixit nos, &c.*  
*quemadmodum elegit nos in ipso, antequam fundamenta mundi ja-*  
*cerentur*, Eph. I, 3, 4. Sic I. Thess. II, 13. *Elegit nos DEUS ab initio*  
*in sanctificatione Spiritus & fide veritatis* h. e. in fide verâ. Hinc  
 probatò, Deum nos elegisse, probatum est, ipsum nos in li-  
 brum vitæ inscripsisse. Sic I. Thess. V, 9. *Deus nos in acquisitio-*  
*nem salutis* posuisse dicitur, ubi profectò haud obscure *pri-*  
 *mum agens* esse perhibetur. Omnium verò maximè excellit,  
 quòd Es. XLIX, 14. dicitur, *DEUM nos in manibus suis descri-*  
*psisse*.

§. x x x. Deus ergo *autor Inscriptiois* est, sed nec ullâ per-  
 sonâ Deitatis exclusâ; nam sicut nulla major est, nulla mi-  
 nor; nulla prior, nulla posterior; nulla præstantior, nulla  
 inferior; singulis autem æqualis gloria & coæterna majestas,

ut

ut Athanasius loquitur: ita nec in actionibus Divinitatis essentialibus altera minus agit, magis altera, sed prout in essendo sunt æquales, ita nec in agendo secus. Opus *indivisum* est; ut proinde, positò Patrem agere, non excludatur Filius, & positò Patrem agere cum Filio, neq; Spiritus S. prætereatur. Probè tamen caveamus, ne, cum Keckermanno, tres S. Trinitatis personas *causas socias* dicamus. Una enim totalis & simplicissima in omnibus est causalitas, tota in Patre, in Filio tota, tota in SS. nec partialis hinc influxus datur, nec causarum pluralitas locum habet. Quàm absurdum est, tres auctores dicere, tam periculosum, tres causas socias, id quod profectò cum divinæ essentiae unitate pugnat, prout eandem sententiam optinè profligavit Magn. Dn. D. Calovius Syst. Theol. Tom. 3. art. 5. in loco de Creatione, ubi idem Keckermannus tres S. Trinitatis personas causas socias esse dixit.

§. xxxi. Quòd *secunda persona* actionem hanc, ut autor, ingrediatur, de eo vix dubium esse potest, nec quantum memini, quisquam in dubium vocavit, nisi fortè Sociniani fecerint, ipsam ipsius Deitatem, cum Deitate æternitatem & cum æternitate æternum ejus in Inscriptione concursum oppugnant. Quare id modò h. l. consideratum velimus, quòd nonnulli per *Virum illum, qui atramentarium ad renes habebat*, Ezech. ix, 2. ipsum Dei Filium intelligant. Cujus sententiæ Hieronymus esse videtur: *Habebat*, inquit, *atramentarium Scriptoris ad renes suos, quò omnium peccata describeret, & sanctorum à peccatoribus numerum segregaret.* V. B. Meisner. Anthropol. l. c. Clarissimus locus est, Joh. xv, 16. ubi Dominus inquit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Imò nec de SS. aliter sentiendum est. Licet enim in Scripturis ut plurimum Dei Patri tantum mentio fiat, quòd ipse fons uti Deitatis, ita actionis hujus ex Deitate promanantis; *inclusivè tamen ob essentia & voluntatis unitatem simul de Filio & Sp. S. quoq; intelligendum est*, verba sunt Dn. D. Matthiæ Syst. Theol. Loc. xvii, q. 2. Singulæ ergo agunt, & eodem modò, neq; causalitas alia *principalis*, alia *Instrumentalis* cum Piscatore fingenda est, utpote quæ cum essentia *ὁμοσεία* luculenter pugnat. Ac tamen si

Inscriptio s. Electio per Christum facta dicatur, Ephes. 1, 5. tamen particula *per* ordinem tantum & originem, neutiquam verò inferioritatem quandam instrumentalem innuit. Aliàs si semper hæc particula Instrumentum notaret, ipse Pater, per quem sunt omnia, Ebr. 11, 10. causa instrumentalis esset, quod quàm absurdum, nemo non videt. Sed abeamus hinc & consideremus

§. XXXII. *Principium, quò Deus in hoc opere agit. Id intellectum antea & voluntatem diximus. Quantumvis autem intellectus & voluntas Dei non sint reale aliquid superadditum essentia divina, sed à parte rei ipsa essentia, quia tamen utrumq; in hoc mysterio non ratione sui, sed ratione actus, operationis & effectus, quoad nos consideratur, inde occasionem desumimus, intellectum & voluntatem Dei tanquam principia distincta apprehendendi, atq; hac ratione distinctè etiam de quolibet agendi. Quoad intellectum igitur primò dispiciendum est; quippe qui est principium dirigens, ut rectè Wendelinus Christ. Theol. p. 63. & natura intelligens nihil vult & exequitur, nisi quòd intellectus cognoverit & voluntati proposuerit. Nam necessariò supponenda est in Deo aliqua scientia, quæ vel dirigat Inscriptionem ipsam, vel divinam voluntatem invitet ad inscribendum, proponendo objecta & res, quæ inscribere possit. Et cum Inscriptio sit actio Dei libera & voluntaria, necesse est, ut aliqua cognitio antecedit; voluntarium enim est à principio intrinseco cum cognitione, tum quia nihil est volitum, nisi quòd præcognitum est, uti eleganter differit Suarez tr. 2. l. 1. c. 6. Prius ergo quoad nos (hic enim ordo in actibus divinis sumitur secundum proportionem illius ordinis, qui est in actibus humanis) Deus cognoscit, quem vult in librum vitæ inscribere, quàm actu inscribat. Cognoscit autem non per species intelligibiles, quippe quæ, cum sint imagines è speciebus sensibilibus in sensus externos & ab his in internos delatis abstractæ, ut ibid. Wendelinus loquitur, per quas intelliguntur res veluti per imaginem; imperfectionem in Deo summam introducerent; sed cognoscit Deus formaliter per actum ultimum & purissimum, vel per ipsam essentiam,*



tiam, omnia immediatè cognoscentem, & sic ipsa essentia ex in finita  
te perfectionis non solum ipsa est intelligens, actusve intelligendi, sed  
& ipsa species intelligibilis, ut doctè ait Dn. D. Cloz. in Pnevmat.  
disp. XII. §. 13. Verum hanc Dei cognitionem nos in præsentia  
ut ab æterno factam concipimus, quem *conceptum* vocant *præ-*  
*scientiam*, quæ quia ad futura terminatur, propriè quidem  
Deo non competit, qui actu præsentissimo omnia videt, neq;  
in præterito aut in futuro novit, sed est ante & supra omne  
tempus in perpetuâ æternitate; ut rectè Theologi dicant,  
Deum potius ad salutem *destinare* & cognoscere *credentes*,  
quàm *prædestinare* & cognoscere *credituros*, quia ipsi cuncta  
sunt præsentia; tamen ut ita eam concipiamus, nostra imper-  
fectio jubet, & quia Scriptura de Inscriptio in librum vitæ  
loquitur, quòd ab æterno facta sit, ubi creaturæ, quas Deus  
præcognovit, nondum extiterint. Cæteroquin hæc præsci-  
entia cum triplex dicatur, *generalis*, *specialis* & *singularis*, nos h.  
L. non primam, quæ ad omnes creaturas indifferenter; nec ul-  
timam, quæ ad Christum singulariter, sed mediam s. specialē,  
quæ ad electos pertinet specialiter, consideramus. Atq; hanc  
iterum *non merè simplicem* s. theoreticam volumus, quâ Deus  
rem nudè cognoscit, inq; eâ cognitione acquiescit, *sed præcti-*  
*cam*, quâ Deus ita suos novit, ut simul curaverit & amaverit.  
*Verba enim scientiæ & notitiæ*, uti Theologorum regula habet,  
*sapè non notitiam nudam, sed notitiam insequentes effectus deno-*  
*tant*. V. Magn. Dn. Præses l. c. §. 22. B. Hutterus hanc notitiam  
vocat cum approbatione conjunctam LL. CC. p. 771. Et cir-  
ca hanc notitiam gravis inter nostrates & Calvinistas quæstio  
movetur, an Inscriptio in librum vitæ secundum illam s. *κτ*  
*περὶ γωσιν* facta sit. Nos affirmativam cum Scripturâ tene-  
mus. Piscator & alii negant. Probamus, quia Rom. VIII, 29.  
*αὐτοὺς περιέγνω, τὰς τὰς καὶ περιώρισε*, Rom XI, 2. *ὅτι ἀπὸ συντοῆς ὁ θεὸς*  
*τὸν λαὸν αὐτῶν, ὃν περιέγνω*. quia I. Petr. I, 12. Inquilini Asia,  
Pontiæ, Bithyniæ electi *κτ* *περὶ γωσιν* dicuntur. Affirmante  
itaq; Scripturâ quis ausit negare? verba clara sunt. Mini-  
mè verò nobis affingendum est, quasi præscientiam Dei inscri-  
ptionis *causam* faciamus. Non dicimus, causam esse, sed quòd  
ratio-

*ratione ordinis tantum Inscriptio secundum eam facta sit.* Quomodo enim Deus inscribere electos dici potest, nisi quos velit inscribere, vel qui sint electi, præcognoscat? Equidem libenter fatemur, præscientiam ab Inscriptione separari non posse, at causam esse pernegamus in totum. Quin nec *partem essentialem esse concedimus, interim adjunctum inseparabile* statuentes. *Hæc scientia, inquit Suarez, non est ipsa prædestinatio, nec ad illam intrinsecè pertinet, quia hæc scientia ex parte Dei necessaria: prædestinatio autem est actus liber. Et præcognitio ut sic, B. Hunnio dicente de prædest., non facit, ut inscribamur s. eligamur, sed præcognitum, quod est Christus fide apprehensus.*

§. XXXIII. Prævidit autem Deus in hac præscientiâ suâ hominem *primò lapsum, at secundò per fidem è lapsu resurgentem,* quæ novæ sunt quæstiones cum Hubero partim, partim cum aliis, qui decretum electionis lapsui præordinant, hominemque *in signo rationis divinæ, ut Scholasticè loquuntur, prædestinabilem prius, quàm creabilem ponunt.* Nos utrumq; affirmamus, prius quidem, dicentes, necessariò præsupponendum esse, ex eo, quòd *solus homo lapsus Inscriptiois objectum sit,* prout videbimus cap. VII. & Electio in Christo facta dicatur, cui tamen locus non est, nisi *in statu peccati & miseria.* Quoad posterius antagonista Huberus est, qui præfractè negavit, Deum unquam ad fidem respectum in hac præscientiâ suâ habuisse. Sed à parte nostri verba Apostoli satis clara sunt, quando dicit 2. Thess. II, 13. electos nos esse *ἐν πίστει ἀληθείας* h. e. in fide vera s. per fidem verâ, uti Hutterus interpretatur. Eò spectat, quòd Joh. VI. dicitur, Jesum ab initio novisse, qui essent non credentes, unde *vi oppositionis* sequitur, quòd ab initio quoq; noverit, qui essent credentes. *Ab initio autem* h. e. ab æternitate, non in tempore demum. Vid. Hunn. de prædest. Sed hæc infra quæstio tangetur pluribus c. 5 & 7.

§. XXXIV. Hic quæritur, *an præscientiâ, quâ Deus tum hominem lapsurum prævidit, tum qui credituri sint, qui non; vel hominis lapsum necessitaverit, vel fidem electorum,* ita, ut non potuerint non labi, ut non potuerint non credere? quòd negamus.

gamus. Primum etenim contingens erat, quod homo laberetur, quia poterat non fieri. Nam homo ad imaginem Dei erat conditus, ideo potuit non peccare: sed quia peccavit, sequitur, quod etiam peccare potuerit, aliàs si non potuisset, non peccasset, ut interpretatur B. Lutherus super Gen. ii. Unde consequens est, contigisse tantum, quod homo lapsus fuerit, ex abusu liberi arbitrii. Et quâ ratione quæso præscientia Dei libertatem hominis impediatur? nam sicut non repugnat, esse aliquid futurum contingenter, ita nec repugnat illud sciri. Scientia verò futuri contingentis non tollit futuri contingentiam. Deinde; quod contingenter futurum est, etiam verè futurum est: quicquid verè futurum est, verè quoque præsciri potest. E. *Scientia contingenter futuri non tollit contingentiam futuri.* Sic pari ratione fides in electis non futura est, quia præscitur, sed ideo præscitur, quia est futura, æquè ac veluti quidem scio hesternam diem præterisse; præscientia tamen mea non efficit præteritionem, sed sciendo præsupponit: ita præscientia Dei ab æterno fidem præsupposuit, minimè verò necessitavit, quod ex possibilitate excutiendi patet. Inquis: Sed quomodo fides potuit præsupponi ab æterno, quæ ab æterno non extitit. Resp. Imò ideo quia non extitit, potuit præsupponi. Et quid? eadem ratione, quâ meritum Christi ab æterno extitit, & agnus ab origine mundi mactatus fuit, eadem inquam extitit quoque fides. Nec enim à negatione *existentiæ physiciæ* ad negationem *existentiæ moralis* sequela procedit. Sufficit, quod per prævisionem Deo præsens fuerit, tametsi in tempore demùm nobiscum incipiat. Sufficit, quod Deus in *præsentia objectivâ æternitatis*, ut Suaresii verba mea faciã, certò præcognoverit, fore in tempore, qui credituri sint; in qua præcognitione etiam eos tanquam præsentem est intuitus cum suis circumstantiis. Potuit Deus ab æterno habere rationem totius ordinis, quem in salvandis servaturus erat, teste B. Hunnio l. c. Fides hic non consideratur, ut *actio in tempore existens*, inquit Eccardus Fascic. Controvers. Theol. c. 15. sed ut est in *prænotione DEI*.

§. xxxv. Hæc de intellectu, quò de secundum ordinem rationis primum egimus. Eodem ordine *concursum divinam vo-*

D

luntam

*luntatis* quoq; spectandus est. Equidem supra diximus, li-  
 brum vitæ tantum importare conceptum notitiæ, inde mo-  
 vere quem posset, quo pacto hic de voluntate actio institua-  
 tur. At enim verò cum nobis non de libro tantum, sed & de  
 inscriptione rem esse velimus, necessum est, ut non modò di-  
 spiciamus, quos Deus inscribat, verum etiam *an & quomodo*  
 velit. Sicut autem, dicente B. Meisnero l. c. *in homine duplex est*  
*voluntas, una ὀρετικὴ ἢ appetitiva, quâ simpliciter & sine con-*  
*ditione aliquid appetit; altera ἀεὶ βεβῆλεν ἢ deliberata,*  
 quando quis aliquam rem vult deliberatè & hac vel illâ con-  
 ditione positâ: ita in Deo *quedam voluntas simplex est & ante-*  
*cedens, quedam ἢ ἀεὶ βεβῆλεν & deliberatam propositionem*  
*h. e. aliud voluntas est, aliud voluntatis propositum* s. Dist. uno ver-  
 bô: inter voluntatem Dei *antecedentem & consequentem*: illâ  
 intuetur homines in communi; hæc in individuo. Quæ verò  
 distinctio non accipienda est ex parte ipsius divinæ volunta-  
 tis, in quâ nihil est antecedens & consequens *sed ex parte voli-*  
*torum*, uti Thomas ait, s. in quantum Deus aliquid vult pro-  
 pter aliud. *Illâ absolutè rem aliquam absolutè & sine positione*  
*vel conditionis, vel circumstantiæ vult*, prout explicat Dn. D.  
 Cloz Pnev. disp. XIII. §. 17. sic e. g. Deus absolutè, antecedenter  
 vult omnes homines salvos fieri; omnes absolutè vult in li-  
 brum vitæ scriptos: absolutè desiderat omnes ad societate re-  
 gni cœlestis pervenire, divinæq; gratiæ participes. Hinc Filiū  
 pro omnibus & singulis mortuum voluit, hinc omnibus re-  
 demtorem misit; hinc omnibus & singulis universalem gra-  
 tiam oblatam voluit voluntate tam revelatâ signi s. externa,  
 quàm arcanâ beneplaciti s. internâ; affectu serio, universali,  
 gratioſo & antecedaneo. Conf. Rom. v, 18. 1. Cor. xv, 22. 1. Tim.  
 ii, 6. 2. Cor. v, 14. 15. 18. 19. Ebr. ii, 9. Act. xiii, 46. c. xvii, 30.  
 Matth. xxviii, 19. Marc. xvi, 15. Matth. xxi, 9. 10. 17. 23. Joh. iii,  
 16. Rom. xi, 32. 1. Tim. ii, 4. Matth. xxiii, 37. & imprimis E-  
 zech xxxiii. ubi Deus: Vivo, inquit, non delector morte im-  
 pii, sed ut convertatur impius à viâ sua & vivat. Hæc verò s.  
 consequens conditionatâ est, *quæ rem aliquam vult non nisi cer-*  
*tis positis conditionibus, vel ratione habitâ circumstantiarum*: &  
 hoc

hoc modo tantum salvatos vult homines sub conditione fidei apprehendentis meritum CHRISTI. Qui crediderit, salvabitur, Marc. XVI, 16. Qui credit in filium, non judicatur Joh. III. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, I. Cor. I, 21. Sic conditionatè voluit inscribere in librum vitæ, eum sc. qui crediderit in CHRISTI meritum finaliter. Qui vicerit, eum non delebo, Apoc. III. &c.

§. XXXVI. Quæ duæ voluntates sibi invicem *minimum contrariae* putandæ sunt. Prior enim versatur circa hominem, quæ homo est absq; circumstantiis: posterior verò circa hominem, quatenus vel est fidelis, vel infidelis. Ast ubi diversa *græcis* est, ibi tollitur contradictio. Et tum demum contrarietas hîc obtineret, si statueretur, duas volitiones affirmativè contrarias esse circa unum idemq; & uniforme objectum, quod verò dici h. l. nequit. V. Dn. D. Müller in Theol. Schoialt. cap. XI. p. 189. Cæterum *differentia* harum voluntatum in eo sita est, quod antecedens nullum habeat oppositum reprobationis; consequens habeat; illa omnes homines complectitur; hæc fideles tantum: illa respicit hominum miseriam; hæc fides salutem, infideles damnationi destinat. V. Hafenref. I. 3. stat. 3. & Magn. Dn. D. Calov. Syst. Tom. 2. c. IX. p. 450. *Illa est ex ipso DEO existens beneplacitum, hæc permissio existens nostri causâ*, ut Damasc. I. 2. orthod. fid. ait, *illa est voluntas misericordie, hæc justitie: illa oritur ex bonitate & misericordia DEI, hæc ex vitio hominis*, inquirente Becano Tom. I. Oper. tr. I. c. 10. Huc pertinet, quod Tertullianus ait: *DEus de suo optimus, de nostro justus*.

§. XXXVII. Antecedens *remotè* concurrat, volendo, ut omnes in librum vitæ conscribantur, inde fluit universalis omnium redemptio, universalis vocatio & gratiæ oblatio per verbum & Sacramenta, modò omnes eam sibi applicarent reciperentq; per organon recipiens & apprehendens, quod fides est. At quia multi auditum verbi recusant, ideò multi fidem quoq; non percipiunt. *Proximè* igitur fit, ut *propositum voluntatis divinæ* s. quod idem est, voluntas consequens proximè decernat, eos solum in librum vitæ assignare, qui credituri sint: delere verò *quoad negationem*, seu non inscribere, qui

gratiam oblatam spreverint. Hic ordo est voluntatis divinæ, qui licet *in se actualis* non sit ex naturâ rei, *virtute* tamen ratione prioris & posterioris duplex est, quatenus plura officia sustinet. Quod etiam sufficere potest. Succedit

## CAPUT V.

### *Ubi de modò Inscriptionis & ejus causis tractatio instituitur.*

§. xxxviii. Scripsit hunc librum SS. Trinitas, quod cap. præced. ostensum est, sed quomodo & quibus de causis, pergemus dicere. Primum verò & ante omnia quæstio contra Socinianos evolvenda est, an *Inscriptio hæc in librum vite nominatenus facta sit?* vel an Deus suorum potius nomina ignoret? quod ipsi volunt. Catechismus Raccoviensis affirmativam nostram de nominali Inscriptione *fallacem* nominat *sententiam*: cœteri autem Photiniani defendunt, Deum ab æterno nomina salvandorum *ignorasse*, fecisseq; tantum decretum in genere, quòd qui mandatis obedierit, salvandus sit, quam mentem explicat Socinus in prælect. c. xiii. dicens, *non certos quosdam homines nominatim intelligi, sed quoddam genus hominum.* Sic Ostorodus Instit. c. xxxv. quanquam tacitè, homines in individuo & nominatim inscriptos esse negat. V. Feuerborn. Anti-Ostorod. disp. xxxii. th. 8. p. 483. Contra affirmant expressa Scripturæ oracula. Affirmat Christus dicens discipulis: Gaudete, quòd nomina vestra in cœlo scripta sint Luc. x, 20. Sic novit Dominus, qui sint sui 2. Tim. ii, 9. Quòd spectat etiam, quòd Christus oves suas nominatim vocare dicitur, Joh. x, 3. Et Es. xlix. in manu Dei descripti perhibemur. Nec minus idem inde patet, quia *scientiæ DEI* non ad universalia tantum, sed *ad singularia* quoq; sese extendit. Ideò enim Deus nostri capitis capillos numerasse, id est, distinctè & infallibiliter nosse dicitur, Luc. xii, 17. Et intellectui increato omnia singularissimè nota sunt. *DEus cum sit omnium causa prima*, habent verba Thomæ, *omnia etiam in particulari*  
cogno-

cognoscens, quævis subjecta esse divina providentia, non tantum in  
universali, sed etiam in singulari, necessarium est. Consuli hic pos-  
sunt B. Balduinus in Refutat. Catech. Raccov. pag. 476. Dn. D.  
Muller. in Theol. Schol. c. x. p. 130.

§. xxxix. Unus hic modus Inscriptionis est, notatio quoad  
nomen. Huc pertinet postea *actualis separatio* à non-salvan-  
dis, ut qualem Deus in extremo judiciò ordinem sit observa-  
turus, oves ab hædis segregando, Matth. xxv. talem quoq; ab  
æternò processum decreverit feceritq; , teste B. Hulfemannò  
in Brev. c. xv. p. 240. Separationi succedit *ordinatio* ad vitam,  
ut quos Deus à damnandis separavit, ad vitam ordinet, in-  
volvaturq; fasciculo viventium, ut Scriptura loquitur, s. inscri-  
bat in librum vitæ. Sed quis amor? quæ gratia? quæ ipsi  
ratio movit, cur sic inscribere soleat?

§. xl. Nulla Inscriptionis causa *in nobis* quaerenda est, tum  
quia nos Dei inimici fuimus & iræ Filii Eph. ii. Inscriptio au-  
tem est opus gratiæ; tum quia nulla in nobis vel merita, vel  
bona opera prævideri potuerunt; tum quia nec per *actum pro-*  
*prium* homo se ad hanc Inscriptionem disponere potuit. In-  
de quoties Scriptura asserit Deum nos elegisse s. Inscriptisse,  
toties negat, hominem huic operi includendum, utpote qui  
potius certò modò opponitur. Et sicut Inscriptio s. prædesti-  
natio *facta nihil ponit in prædestinato effective*, contra Svaresium  
ita nec *fienda in prædestinando* invenit, propter quod causali-  
ter fiat, ut ad eò neq; ex parte hominis, neq; ut Scholastici lo-  
quuntur, *ex parte effectus* ulla planè causa assignari possit, si-  
ve ea sit efficiens, quæ solus Deus est, sive meritoria, quæ solus  
Christus in merito, sive sine qua non, sive cooperans, sive quæ-  
cunq; alia, propter quam inscripti simus. E. *extra nos*. Sed  
nec *in hominis lapsu*, qui quidem *ocasio* fuit, & terminus, à quò,  
neutiquam verò *causa*. Nec *in aliis creaturis*, quippe quæ vel  
hoc negocium planè non attinebat, vel quorum statum &  
naturam excedebat. Ideoq; nulla creatura vel in cælo, vel  
in terrâ operæ quicquam sibi vindicare potest in hoc opere,  
sed solùm relinquitur, in solo Deo causam esse quaerendam,  
& quaesitam inveniri posse.

§. xli. At verò in Deo duo consideranda veniunt, *justitia*  
 partim, partim *miser cordia*. Illa quippe *lesa* nihil præter  
 damnationem contendebat, tantumq; abest, ut in eâ causam  
 Inscriptionis ad vitam ponamus, ut potius illa nobis interi-  
 tum decrevisse statuenda sit. Melius & rectius solam hic mi-  
 sericordiam Dei & gratiam causam dicimus. *Miserebor e-*  
*nim*, inquit Deus, *cujus miserebor, & commiserebor, quemcunq;*  
*commiseratus fuero*, Rom. IX, 15. *neq; volentis est, neq; currentis,*  
*sed DEI miserentis* v. 16. Hæc causa principalis est, ac *ωεγνυσ-*  
*μένη*, uti dicitur, Deum nos inscripsisse *κατ' ἔδονίαν*, Eph. I, 6.  
 & ex misericordia v. 9. II. Per hanc verò misericordiam non  
 fingimus aliquod æternum, absolutum ac immutabile confi-  
 lium, quò Deus ex liberâ & absolutâ voluntate ex se & pro-  
 pter se, absq; respectu vel mediatoris, vel medii, nos ad vitam  
 inscripserit, sed id quidem contendimus, *ἔδονίαν* Dei cau-  
 sam esse, verum cum cautione, *ne illam vel Mediatoris merito,*  
*vel mediorum ordini opponamus*. Etenim ita misericordia Dei  
 comparata esse debebat, ut ne justitiam labefaceret. Deus  
 quippe non tantum misericors, sed & justus est, ideoq; absq;  
 intuitu justitiæ non poterat inscribere, quemcunq; volebat;  
 imò nec volebat inscribere, nisi prius justitiæ satisfactum ef-  
 set. Hinc Mediatore opus erat, qui justitiam divinam no-  
 stris peccatis offensam reconciliaret, ut Deus salvâ justitiâ  
 misericordiam exercere inscribendo posset. Nullo enim  
 modo meritum supplicium generi humano condonari pote-  
 rat: nec justitia & misericordia in uno eodemq; subjecto si-  
 mul & semel, perfectè & *in rigore* s. *ἡ τὸ ἀνεβόδιμα οὐκ* exer-  
 ceri, nisi per medium quoddam unirentur. *Aut* igitur *ju-*  
*stitia solum, aut misericordia solum* debebat, *aut utraq; simul per*  
*temperamentum*. At si justitia, tum profectò nullus Inscri-  
 ptioni locus fuisset, justitia enim non vitam, sed mortem con-  
 tendebat. Nec misericordia solum, quia sic justitiæ suum  
 jus derogatum fuisset. E. temperamentum intercederet, ne-  
 cessum erat. Ex quo mediatoris interpositio consecuta est,  
 cujus intuitu quoq; inscriptio facta est, ut qui in illum firmâ  
 fide crediderit, ille demum in librum vitæ sit inscribendus.

§. xli .Hic



§. XLII. Hic ordo fuit, hic processus. Unde videmus, cau-  
sam quidem omnium *primam* ac principalem s. ut Græci a-  
junt, *αἰτιον καὶ ἔτιον* fuisse gratiam & misericordiam Dei, eam ve-  
rò *non absolutam* & simplicem, *sed ordinatam ad Christi meri-  
tum* fide apprehendendum, quò de mox agemus. Nunc no-  
tandum est contrà Pelagianos, Pontificios, Socinianos, Armi-  
nianos & Scholasticos, misericordiam & gratiam Dei hîc *op-  
poni meritis & viribus hominum*, excludiq; sicut in justificatio-  
ne, ita in inscriptione in librum vitæ omnem omninò homi-  
nis actum. Pelagius cum suis docebat, *electos* (s. quod nobis  
idem est, *in scriptos in librum vitæ*) *ob prævisa opera & bonum  
liberi arbitrii usum tales esse*. Scholastici & ex his Thomas  
part. 1. summ. q. 23. ar. 5. ait: *Deus præordinavit, se daturum ali-  
cui gloriam ex meritis*; vel ut alibi: *præscientiam meritorum*, in-  
quit, *esse rationem prædestinationis ad vitam*. Bonaventura re-  
movet quidem opera ut causam meritoriam, concedit tamen  
*rationem motivam à meritis desumptam esse* l. 1. dist. 4. art. 1. q.  
1. 2. Gabr. Biel l. 1. sent. dist. 41. art. 2. *Alicujus, dicit, prædestinã-  
tionis est aliqua causa, quia aliqui ideò prædestinantur, quòd DEUS  
prævidet in eis bonum liberi arbitrii usum & merita*. Albertus  
Pighius l. 8. de usu lib. arbit. c. 2. docet, Deum in hoc opere *non  
personas, sed opera respexisse & merita*. Gregor. de Valentia  
Tom. 1. disp. xi. q. 23. punct. 4. ait: *Deus neminem nisi cum re-  
spectu quodam ad cooperationem liberi arbitrii & bona opera in-  
scribit ad vitam*. Modernorum verò Papistarum quæ sit sen-  
tentia, ita breviter dici potest: statuunt videlicet, Electioni  
*prævisionem meritorum ut rationem motivam & causam effi-  
cientem essentialiter inclusam esse: nec sine meritis hominem salva-  
ri, aut salvari posse* apud B. Meisn. Anthropol. l. c. Ex Photinianis  
Socinus itidem Instit. c. xxxv. Inscriptionem à bonis operibus  
suspendit. Remonstrantes verò concedunt equidem, nos non  
esse electos *ex operibus prævisis fidem antecedentibus*, sed quod  
alterâ manu dant, alterâ rapiunt, statuentes, respectum ta-  
men haberi ad ea, quæ ex fide manant s. sequuntur. Quibus o-  
mnibus etiam Patres quidam assentire dicuntur, qui præde-  
stinationem quoad salvandi voluntatem *non ex solâ DEI vo-  
lunta-*

luntate, sed operibus prævisis nasci, opinati sunt. V. B. Hutterus  
LL. CC. art. 22. p. 777.

§. XLIII. Verùm hi omnes quid Apostolo respondebunt  
dicenti, quòd *ex gratiâ* electi simus. Rom. ix, ii. Si autem ex  
*gratiâ, non ex operibus*, inquit ipse cap. seq. v. 6. alioquin gratia  
non est gratia, ejusdem verba sunt. Deinde: quicquid non  
est *causa salutis*, illud nec potest esse causa Inscriptionis ad sa-  
lutem. Conf. Eph. i. ubi gratiæ solius *influxus causalis* ita extol-  
litur, ut per plurimos versiculos ejus mentio injiciatur. v. 4.  
dicitur, Deum nos elegisse in Christo h. e. in Christi merito.  
*Meritum autem Christi cum meritis hominum constare nequit.* Aut  
si Deus inscripturus ab æternò hominum merita prævidit,  
quid opus fuerit Christi meritò? v. 5. secundum beneplaci-  
tum: si opera hominum causa sunt s. meritoria s. motiva, be-  
neplacitum Dei causa esse non potest. Atqui Dei beneplaci-  
tum causa est. E. opera non possunt esse causa, v. 6. Inscri-  
ptio facta dicitur ad laudem gloriæ *gratiæ* ejus. Et sic porrò.  
Ubi sanè nulla operum mentio: quin gratia potius his oppo-  
nitur. Sic Rom. ix, ii. electio gratis facta dicitur, *antequam bo-  
ni quid fecissemus.* Sic Matth. xii, 32. *complacuit Patri nobis re-  
gnum dare: quâ ratione verò propter merita ipsi hoc placu-  
isse dici potest?* ut Becano placet Tom. i. Oper. c. xiv. q. 4. me-  
herclè nullam ego illam complacentiam dixerim, quæ pro-  
pter merita talis est. Ipse quidem distinguit *inter prepara-  
tionem & collationem* s. *inter voluntatem preparandi & volunta-  
tem conferendi.* Concedit, quòd placuerit Deo præparare re-  
gnum ex gratiâ: negat verò, quòd efficaciter velit ex gratia  
conferre, nisi quis per bona opera dignus fiat. At quæ di-  
gnitas quæso ex operibus futura est, cum si omnia fecerimus,  
servi simus inutiles? Sanè *ubi inutilitas, ibi indignitas.* Nec qui  
servum Dominus habet inutilem, eum dignum ulla mercede  
censet, nisi velit conferre ex gratiâ. Benè, inquit ipse Becanus  
Tom. i. Oper. cap. xiv. q. 2. explicans definitionem Durandi,  
quòd, *sicut sagitta suis viribus non potest pervenire ad scopum, nisi  
à sagittario dirigatur & transmittatur: ita nec creatura rationa-  
lis suis viribus pervenire ad vitam æternam.* Omnis ergò actio  
humana-

humana excluditur s. viribus *nature* s. *gratie* facta; imò ipsa fides, si veluti conditio magis aut minus digna, aut veluti qualitas s. virtus nobis inhærens, quod Arminiani contendunt, spectetur, cum nec ulla ullatenus Deum vel inducere, vel movere ad inscribendum potuerit. Hinc eleganter Augustinus: *DEus*, inquit, *non invenit homines eligendos, sed facit.* Tom. 2. ep. 105. & l. III. contra Julian. Pelag. c. 3. *nullum DEus elegit dignum, sed eligendo dignum effecit.* Ut propterea in apium planè sit, meritis hominum tantum virtutis attribuere. Quantum enim his asluitur, tantum gratiæ Dei detrahitur; quantum his ascribitur, tantum Christi merito derogatur, quippe quod hoc modo insufficiens redditur. Aut *si sufficiens est, vel solum sufficit, vel non solum.* Sinon solum sufficiens est, tum planè non sufficiens dixerim.

§. XLIV. Triumphat igitur Gratia Dei, misericordia & *Adoniam*, quam operibus opponi per Scripturam demonstratum est. Sed & porrò *de subordinatione meriti Christi* fide apprehendendi tractatio instituenda est. Calvinus enim, Polanus & alii quamplurimi Calvinistarum Christum non tantum planè huic operi eximunt, sed Inscriptionem quoque simpliciter absolutam & *Adoniam* Dei decretoriè necessariam & immutabilem faciunt. Idem ferè Sociniani, licet *non eodem modo*, contendunt, qui ne unicum quidem respectum vel ad meritum Christi, vel ad fidem in salutis negotio superesse patiuntur. Ac ut illi *ad absoluti decreti stabilitonem* meritum Christi exclusum volunt; ita hi *ad Deitatis negationem* vel Christum non æternum, juxta ipsos, operi huic æterno eximunt, vel *ad meriti satisfactorii oppugnationem* concursum causalem negant. Hinc ex illis Ursinus meritum Christi non inter causas, sed *effecta Inscriptionis* in librum vitæ ponit. Piscator, Deum in nobis eligendis nihil extra se, & *ne Christum quidem* spectasse ait. Scharpius concedit meritum Christi esse causam meritoriam salutis, ineptè negat a. quòd *electionis.* Contra urgent absolutam Dei gratiam & immutabile decretum Calvinus l. 3. Instit. c. XXI. sect. 5. qui: *Non pari, inquit, ratione creantur omnes, sed aliis vita eterna, aliis damnatio eterna*

*praordinatur. Beza: Inscrutabilem, dicens, decreti causam, quã  
DEus nonnullos ab aternò condere constituerit, in quorum justo  
exitio justitiæ suæ gloriam patefecerit, obq; eam causam omnes exi-  
tio destinati non possint non suo tempore perire. Piscator: Et si  
DEus, ait, hominem creavit, &c. in uno, tamen creavit omnes non  
unò fine, sed alios quidem preparavit ad gloriam: alios coagmenta-  
vit ad interitum. Ergo finem alium creationis ponit gloriam,  
alium, facit interitum. Quod horrendum dogma, ut veritati,  
bonitati, justitiæ, & sanctitati divinæ ἀντιδιγνωμένως opposi-  
tum, meritò rejicitur.*

§. XLV. At nos uti gratiam Dei ordinatam ad meritum  
Christi supra diximus: ita nunc ulterius meritum Christi  
*causam esse meritoriam* Inscriptionis in librum vitæ demon-  
stratum ibimus, idq; gratiæ substernendum declarabimus. In  
quo eligimur ad vitam, ille electionis causa est meritoria. Sed  
in Christo, Eph. 1, 3. ubi τὸ in Christo est *Synecategorema* cum ver-  
bis subsequenter conciliandum: In Christo habemus re-  
demtionem in sanguine, id est, per & propter. *Synecatego-*  
*rema, in, non est locale, nec est finale seu terminale q. d. ele-*  
*git nos in Christum; sed est meritorium & morale.* Deinde:  
Deus nos inscripsit aut *placatus, aut iratus.* Hoc nemo, nisi cui  
fungus sit pro cerebro, ausit dicere. E. placatus. Placatus  
autem est in Christo, ut qui nos Deo reconciliavit per cru-  
cem peremtis inimicitias ad eam, Eph. II, 16. Ac nisi prius  
Christus Deum nobis reconciliasset, neq; Deus nos ad vitam  
ordinare potuisset: si enim ordinasset, ordinasset iratus,  
quod pugnat. Nam Inscriptio in librum vitæ est *actio mise-*  
*ricordiæ & gratiæ, ut sæpè diximus, quæ hominis miseriam re-*  
*spicit.* Conf. Rom. v. Reconciliati sumus Deo per sangui-  
nem Filii ejus. Ipse est pax nostra omnia componens, & Col.  
1, 18 19. Christus in omnibus primas tenere debet, quia in illo  
complacitum fuit Patri, ut omnis plenitudo inhabitaret &  
per ipsum reconciliaret omnia in seipsum, pacem faciens per  
sanguinem crucis ejus, tum quæ in terrâ sunt, tum quæ in cœ-  
lis. Quid? quòd non solum in ipso, sed & per ipsum electi di-  
camur. *ibid. v. 5.*

§. XLVI. O-

§. XLVI. Obiter nota; *duplici ratione* Christus in hoc opere concurrat, primum *quà Deus*, post *quà Mediator*. *Quà Deus* una cum Patre & SS. ut persona divinitatis causa est efficiens & principium, quod inscribit ad vitam, vel cui Inscriptio principaliter tribuitur, quod supra diximus c. IV. & h. m. ipse scit, quos elegit, Joh. XIII, 18. *Quà mediator* verò constituitur Inscriptio causa meritoria, quia ipse prius nobis eam acquisivit, nosq; cum Deo Patre reconciliavit. Unde; Quicunq; nobis vitam reparavit, acquisivit, meruit, ille est causa vitæ meritoria. Quicunq; est causa vitæ meritoria, ille etiam Inscriptio ad vitam est causa meritoria; nisi enim prius vita restituta fuisset, nemo ad vitam inscribi potuisset. Et propterea *liber vitæ agni* dicitur, quia agnus Inscriptio- nem in illum acquisivit. Ultimò etiam locò illud huc attinet, quòd Christus redemptionis & remissionis causa sit merito- ria. E. etiam Inscriptio ad vitam, quia non nisi redempti, non nisi quibus peccata remissa sunt, inscribuntur, Ephes. I. vers. II.

§. XLVII. Unde in mensa Solis cuilibet expositum est, me- ritum Christi neutiquam *pro effectu* prædestinationis habend- um esse, nec *pro medio executionis*: sed illud equidem largi- mur, quòd sit *medium commune* exequendi Universalem Dei gratiam s. benevolentiam erga omnes homines, quia Filius Dei datus est in mortem, ut mundus per ipsum salvaretur, Joh. III, 17. negamus verò in totum, quòd sit *medium adequa- tum* exequendi *prædestinationis decretum*. Etenim potius causa est, ordine prior Inscriptio: extitit ab æterno, si non physicè, moraliter tamen *ratione prænotionis*, sicut etiam a- gnus ab origine mundi mactatus dicitur, Apoc. XIII, 8. Nec obstat, quòd supra solam *Gratiam* s. gratiam Dei Inscriptio- nis causam diximus; neq; enim ideò meritum Christi exclu- simus, sed locuti ita sumus *in oppositione ad opera & merita ho- minum*, non in oppositione ad meritum Christi. Hinc ab ex- clusivâ ejusdem generis ad exclusivam generis diversi N. V. C. Gra- tia Dei est causa principalis, cui tamen causa meritoria sub- sterna facile potest.

§. XLVIII. Ex dictis ergò liquet, quâ ratione nos, & quâ Calviniani Christum Inscriptionis decreto includant: nos videlicet *ut fundamentum* & causam meritoriam; illi *ut executorum*, vel etiam *ut executionis medium*. Posteaquam enim ex eorum sententia absolute Deus decreverat, quosdam in librum vitæ assignare absq; intuitu vel meriti vel fidei, tum Filium misit, ut decretum exequeretur, pro iis moriendo, quos inscriptos Deus volebat, quò ita interveniente hoc medio redemptio paucorum illorum efficeretur, & sic meritum Christi esset effectus ex prædestinationis decreto fluens; Ipse autem Christus medii hujus executor. Quòd verò Inscriptionem in librum vitæ nobis meruerit, negant pernegantque. In quò egregiè cum Socinistis conveniunt. Nam veluti hi Christum totum salutis negotio planè eximunt, destruantq; quòd sit causa meritoria salutis; sic illi oppugnant, ipsum esse causam meritoriam ordinationis ad salutem. Elegans harmonia Hæreticorum! Quæ singula tamen antea Scripturæ oraculis refutando expeditimus.

§. XLIX. Verum enim verò cum meritum Christi spectari possit vel *ratione sui & in se*, vel *ratione nostri & quatenus à nobis applicatur*, s. aliud sit *acquisitio*, aliud *applicatio*; sciendum est, hoc loco illud non tam priori, quàm posteriori modo considerari: salvat enim non ut præstitum, sed ut applicatum fide finaliter perseverante. Quæritur proinde, an & quomodo fides ad inscriptionem in librum vitæ accedat? Vel an Deus respectum ad fidem habuerit? Ubi ante omnia primò distinguendum est *inter fidem actualem & prævisam*; inter *fidem ut est instrumentum* & prout est *causa principalis*: inter fidem, ut est *causa meritoria* & prout est *pars ordinis*. Nostra mens non est, fidem hic concurrere actualem; neq; dicimus, fidem esse causam principalem; neq; volumus esse meritoriam: sed (a) quia fides in præsentis quæstione divinæ præscientiæ subjicitur, idè spectatur ut *prævisa* (b) quia constituta est à Deo medium applicationis, s. ut B. Kunadus vocat, *ἀντιληπτικόν*, hinc causa *instrumentalis* est (γ) quia non est opus, sed illi potius opponitur, igitur nec meritoria causa esse potest, sed tantum *pars ordi-*

*ordinis divini* perhibetur, quia Deus hunc ordinem in decreto observatum voluit, ut non, nisi qui crediderit in Christum, in librum vitæ inscriberetur. Inscriptio itaq; ordinata ad fidem est. Nihil inscribitur, quod mortuum est, quia liber est viventium Ps. LXIX, 29. At hi nulli alii sunt, dicente Magn. Dn. Præs. l. c. §. 39. *quam qui spiritualiter vivunt vitam mysticam per gratiam, & fide sunt justificati*: sicut econtra mortui sunt, qui vita mysticam h. e. viva fide destituuntur coram Deo, & propterea increduli & impœnitentes, quales, testimonio Filii Dei, erant Judas, aliiq; Judæi, in libro Vitæ locum non habent: Sed deleantur de libro viventium & cum justis non scribantur, inquit Filius Dei l. c. NB. Cum justis. Atqui nemo sine fide justus est. Ergo sequitur, neminem quoque sine fide in librum vitæ assignari. Et quid? tota Scriptura clamat, eorum tantum salvatos iri, qui in Christum credunt. Sic Apoc. III, 5. ii demum veri victores intelliguntur, qui vera fide, dum in his terris degunt, Christo constanter adherent. Esto fidelis usque ad mortem c. II. v. 10. 2. Tim. IV, 7. Bonum certamen certavi, inquit Paulus, cursum consummavi, fidem servavi.

§. L. Necessarium idcirco fides *requisitum* est, necessaria pars divini ordinis ex hypothese constitutionis, quia Deus ordinavit. Quæ itidem quia *per modum organi* à parte hominis inscribendi concurrat, causa Instrumentalis dicitur. Aliàs fides *in se* tam digna non est, ut propter eam inscribamur, nisi *ratione status & qualitatis*, quatenus in Christo terminatur objective. Nam Christus *unicum illud objectum* est, dicente B. Hunnio l. c. *cujus respectu Pater nos inscribit. Christus autem non per incredulitatem rejectus aut ignoratus, sed fide agnitus & apprehensus*. Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam. Actor. XIII. ubi notanter vocabulum ordinationis nos admonet, inscriptionem ad vitam certo ordine factam, cujus ordinis pars fides quoque sit æstimanda. Id quod de causis dictum sufficiat.



## CAPUT VI.

### *Ubi Inscriptionis objectum quoad materiale, seu abstractè & præcisè consideratur.*

§. LI. Consideravimus hætenus ipsam Inscriptionem, nunc eos, qui *privilegio* Inscriptionis gaudent, contemplabimur. Hic verò initio omnes creaturas *rationis expertes* cum Magn. Dn. Præsidi l. c. th. 3. removemus. Objectum enim Inscriptionis requisita, quibus indutum esse debet, oportet intelligat; scopum, ad quem tendit cognoscat, & ad finem non tantum, qui naturæ ejus sit conveniens & communis, sed & qui supra, ordinetur. At solus homo hunc intelligit, quò tendat, vitam nim. æternam: solus homo, quippe à principio ad hunc finem creatus, ordinatur ad illum. *Substantiæ* contra *intellectu carentes non ordinantur ad beatitudinem, nec ad supernaturalem finem, cum illius non sint capaces*, differente Suarezio l. i. c. 4. ubi & ipse benè distinguit inter *prædestinationem & ordinationem*; concedit, quòd interdum substantiæ, inanimatæ etiam, ordinentur ad effectum superantem ejus naturam, ut e. g. aqua ad lavandum animam: per *prædestinationem* verò propriam explicari hæc posse, rectè negat. Sic pariter concedimus, quòd creaturæ cæteræ *divinæ providentiæ* subjaçant, sed quòd *Inscriptioni* in librum vitæ, meritò inficias imus. Cæterum quòd hic Scholastici quærunt, an *prædestinatio* cadat *in personam*, an verò *in naturam*, propriè & proximè nostrum non facimus, interim ad *solam personam, eamq; creatam humanam* determinantes. Persona etenim increata secundum se capax non est, cum per se & essentialiter beata sit.

§. LII. Augustinus, vel quicumq; autor est libri de prædest. cap. i. eò progreditur, ut cælum & terram, solem & lunam, diem & noctem prædestinatos dicat, distinguendo, inter *prædestinationem alligationis & conditionis*; quarum hæc sit justitiæ, illa verò potentix. Ad hanc creaturas dictas refert: ad illam verò alligat hominem recens creatum ante lapsum. At  
enim-



enimverò quemadmodum quòd hisce creaturistate privile-  
gium non competat, ut prædestinentur s. in librum vitæ in-  
scribantur, ( præprimis quia in hoc libro viventes tantum  
scribuntur, hæ autem creaturæ non vivunt ) jam causa dicta  
est; ita quòd nec homini antelapsum, ut qui ad imaginem  
Dei potius conditus, quàm in librum vitæ scriptus tum di-  
cendus erat, cap. seq. fortassis ostendetur, ubi de formali ob-  
jecti ratione instituetur quæstio. Conferatur interim Magn.  
Dn. Præses l. c.

§. LIII. Neq; *Angeli objectum proprium sunt & adequatum*  
hujus Inscriptionis, quod itidem Augustinus ac Thomas vo-  
lunt, quos sequuntur alii, tum Scholastici, è quibus expressè  
Suarez tr. 2. l. 1. c. 20. *Ego existimo, inquit, etiam angelos per Chri-*  
*stum prædestinatos esse, ideoq; ipsorum nomina scripta in librum*  
*vite agni:* tum Pontificii, ut Bellarminus, Lessius &c. tum  
Calviniani &c. qui omnes Inscriptionem in librum vitæ an-  
gelis quoque communem faciunt. Hinc Thomas generali-  
ter prædestinationem ita definit, ut etiam angelis applicari  
possit, quòd sc. sit *ratio transmissionis creature rationalis ad vitam*  
*æternam.* Et Durandus in 1. Dist. 41. q. 1. Prædestinationem  
dicit esse *directionem creature rationalis in vitam æternam.* Be-  
canus explicat utrumq; utriusq; terminum & transmissio-  
nis & directionis, quòd sicut, inquit, *sagitta suis viribus non*  
*potest pervenire ad scopum, nisi à sagittario transmittatur &*  
*dirigatur:* ita & creatura rationalis non potest suis viribus  
pervenire ad vitam æternam. Verùm ut id primò notemus,  
sermo nobis non est de prædestinatione aliqua *ως εν πλατει*  
dicta, quatenus fortè generaliter notet ordinationem ali-  
quam ad hunc vel illum statum, ad hoc vel illud officium ex-  
tra Christum, quò sensu etiam angelos posse prædestinatos  
dici, facile largimur, præprimis cum expressè electi dicantur  
1. Tim. v. Sed uti dixi, impropriè prorsus, latèq; pro ordina-  
tione & confirmatione ad bonum. *Electiois vox,* verba ha-  
bent Magn. Dn. D. Calovii, Syst. Theol. Tom. 4. cap. 2. q. 2.  
*hic aliter sumitur, quàm in articulo de Electione ad salutem;* nimi-  
rum electi dicuntur angeli, quòd peculiariter, postquam in  
bono

bono persteterant, in bono sint confirmati & ad bonum gloriæ perseveranter ordinati. Alioquin si statim qui electi dicuntur in Scripturâ propriè electos seu in librum vitæ scriptos dixerimus, tum profectò cedri etiam, sepulchra, currus &c. in librum vitæ scripta dicenda erunt, quod tamen ab eorum naturâ tantum distat, quantum ab ipsa terrâ cælum. Breviter: Malè ab electione genericâ & etymologica ad Inscriptionem in librum vitæ s. electionem specificam & propriam colligitur.

§. LIV. Quod si ergò quis inter ipsas Electiones distinguere velit, fortè minus refragabimur, aliam angelis assignando, hominibus aliam: *genericam* illam, hanc *specificam*. Qua de sententia testatur B. Hutterus LL. CC. l. c. etiam orthodoxos fuisse, qui angelis prædestinationem tribuendam, inter alia exinde probaverint, quòd in destinatione finis supernaturalis communicent. Nam angeli, ajunt, quoq; non per naturam, uti nec homo, sed per gratiam, & consequenter ex prædestinatione, vitâ æternâ gaudent. Ergo Deus etiam ab æterno præscivit, seq; angelis vitam æternam ex gratia daturum decrevit. E. nec angeli minus in libro vitæ scripti erunt. Sed quod monuimus, dari hoc posse videtur, si de prædestinatione *specie diversa* intelligatur. Nam posito, angelis electionem assignari posse, nemo tamen negaverit, disparem planè ab illa rationem esse: quin imò in respectu ad prædestinationem hominis impropriam planè. Quis enim angelos vel propriè per Christum electos, ut Scriptura loquitur, vel in librum vitæ scriptos dixerit? cùm inscriptio hæc *miseriæ statum præsupponat*, ut non nisi qui morti fuit obnoxius, inscribendus dicatur. At quis unquam angelos bonos (de malis enim sermo non est, quibus ex hypothesi finalis impœnitentiæ horum nihil competit) miseros & morti obnoxios vocaverit? ut qui potius ab ipsò, si non creationis, tamen confirmationis momento, ipso actu vitâ æternâ sunt fructi, & adhuc fruuntur, quia faciem Dei vident, Matth. xviii. Si ergo fruuntur, quid opus est, ut assignentur demùm ad fruendum, cum reapse sine suo potiti sint?

§. LV. Ast

§. LV. Ast urget Thomas, *motum non accipere speciem à termino à quo, sed à termino ad quem.* Resp. concedi quidem id salvâ nostrâ sententiâ potest, verum qua ratione terminum à quo à motu separare poterit? Omnis motus præsupponit terminum unde fiat, & terminum ad quem tendat. Nec ullus unquam motus dabitur, qui non terminum à quò præsupponat tanquam aliquid inseparabile à motu, et si non sit de formali ratione motus. Sic licet *miseria status non sit de formali ratione* Inscriptionis ad vitam s. prædestinationis, *necessario tamen ac inseparabili nexu præsupponitur*, ut *ava 5 eg* Quò hic optime obtineat: quicumque non est peccator, ille non est inscriptus in librum vitæ. Sanè enim qui in statum gloriæ devehendus est, illum necesse est, antea in statu gloriæ non esse.

§. LVI. Consideratò miseriæ statu considerandus est etiam Mediator, quia nemo in librum vitæ scribitur, nisi prius per Christum redemptus fuerit. Hic quasi *terminus* est, *per quem* ad vitam tenditur. Ast angeli non sunt redempti: Quod enim Christus non assumpsit, illud non redemit. Angelorum naturam non assumpsit. E. nec eam redemit. Quos Christus non redemit, eos neq; in librum vitæ assignavit. Angelos &c. Ergo. Conf. Ebr. II, 15, 16.

§. LVII. Inquis: Sed dicitur tamen, Christum omnia *restituisse & in cælo & in terrâ.* Resp. à *restitutione respectu discordiæ ad restitutionem respectu miseriæ N. V. C.* Restituuntur, *quæ in cælis sunt*, inquit B. Hutterus l. c. p. 776. *eo respectu, quatenus per meritum Christi sublata est illa discordia, quæ inter angelos & genus humanum intercesserat: non verò respectu redemptionis angelorum.* Urges: Angeli verò *conservatore* in bono opus habuerunt, qui fuit ipsis locò Redemptoris. Resp. neque sic consequentia valet, aliud est conservatio in bono, aliud redemptio à malo. Inscriptio per Christum facta dicitur, non quatenus est conservator in bono, sed *quatenus est redemptor à malo.* Porrò: Inscribendi in librum vitæ solum credentes sunt, qui meritum Christi fide verâ sibi appropriant. Ast angeli appropriare non possunt, quia Christus pro illis non est

F  
mor-

mortuus: *non possunt credere*, quod specialiter contra Suarezium notandum est, qui angelis viatoribus fidem in Christum tribuit; quin eò ab it, ut angelos ex occasione revelatæ incarnationis peccasse statuat, citante Becano Tom. I. tr. 2. c. 2. q. 4. Interim si nomen angeli in Scriptura hominì tributum legamus, tum extra controversiam est, huiusmodi angelum etiam in librum vitæ scriptum posse dici. Secus verò, quando Spiritibus cœlestibus competit.

§. LVIII. Similiter res habet *respectu Christi*, quem tantum abest, ut in scriptum in librum vitæ dicamus, ut potius eum libri vitæ & fundamentum & autorem & dominum esse, è Scriptura asserendum sit. Hic enim unà cum Patre suo in unitate Spiritus S. hunc librum scripsit: hic inscriptionem acquisivit & meruit. Hic dux & autor vitæ ipsius est, Act. III, 15. imò ipsa vita Joh. I. per quam nos vitam habemus, Joh. III, 17. non ideò opus est, ut eum in librum vitæ inscribamus, ve objectum prædestinationis faciamus, quod tamen mirum est, cur Basilienses, Herbournenses & Maldonatus statuerint. Imò Pontificii quoque, quod ex Becano est videre l. c. qui homines non solum, eosq; iterum aliter adultos, aliter infantes; nec angelos solum, sed Christum quoque prædestinatum dicunt: *Christus, inquit Becanus, secundum humanitatem prædestinatus est ad gratiam & ad gloriam sine prævisis meritis & post prævisum Adæ peccatum.* Contra quos hoc unum sufficit, quòd Christo definitio Inscriptionis in librum vitæ non competat.

§. LIX. Cœterum etsi Christus prædestinatus ad passionem & mortem fortè dicatur, illa tamen prædestinatio cum prædestinatione salvandorum non est confundenda, Act. IV, 24. & ipso nomine audito, audio statim, illam prædestinationem *ad mortem*, hanc *ad vitam* esse. Urgeas licet, quòd Es. XLII, 1. Christus electus dicatur: Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Resp. Electio tamen saltem *etymologica* est, non propria. Electus dicitur, quia dilectus est, quia Deo placet. Sic I. Pet. I, 19. præcognitus vocatur ante mundi constitutionem, neutiquam

quam verò prædestinatus, quia nec à præcognitione statim ad prædestinationem consequentia valet. Differunt n. præcognitum & prædestinatum esse ut latius & angustius, ut dicere quidem possim: O. prædestinatus est præcognitus: minime verò: O. præcognitus prædestinatus est. Deinde D. inter *præcognitionem specialem & singularem*: illâ præcognoscuntur electi: hac solus Christus, in quo sensu etiam hîc loci forte præcognitus dicitur. Conf. Cap. IV. §. 32. Tertio: alia quoque *prædestinatio est ad salutem promerendam, alia ad salutem consequendam*. Illo sensu, si forte prædestinatus Christus dicatur, prædestinatio accipienda est.

§. LX. Relinquitur ergo, solos homines vitæ libro inscriptos esse, quod ultimo loco adhuc probandum venit. Probatum autem, tum quia Scriptura solos homines inscriptos docet, nec ullius alius creaturæ vel hominis vel angeli mentionem injicit; tum quia soli peccatores, lapsi & æternæ mortis rei in librum vitæ ponendi sunt; tum quia hi soli, ad quos meritum Christi pertinet, inscribi possunt; tum deniq; quia soli credentes vitæ hæredes futuri sunt, & propterea soli in librum vitæ assignantur. Unde sequitur *ἐξ ἀνάγκης*, nec angelos, nec alias creaturas, nedum ipsum Christum huc pertinere, utpote quorum nec Scriptura meminit, qui neq; lapsi sunt, nec pro iis Christus est mortuus, nec meritum Christi fide sibi appropriare possunt, id quod in seq. cap. expeditur pluribus.

## CAPUT VII.

### *De Statu objecti & qualitate ejus formali.*

§. LXI. Qui inscribantur, expeditum est: nunc porro quales eos esse deceat, pergemus excutere. Expositio materiali *formale* etiam exponendum est. Fuit objectum materiale homo; sed formale, *qualis* homo esse debeat, edocebit. Primo igitur *quoad statum*, inscribitur homo in librum vitæ, *non quæ creandus adhuc, nec quæ creatus integer ante lapsum*: prædestinatio enim præsupponit miseriam, & lapsus occasionem Deo

præbuit, hominē ad gloriam ordinandi s. ad vitam inscriben-  
di; quod inde elucescit, quia Electio in Christo facta est, Chri-  
sto autem locus non est nisi in statu peccati & miseria. Nec  
Scriptura ullum agnoscit Redemptorem, uti Scholastici vo-  
lunt, præservationis à lapsu: Redemptor enim ideo dicitur,  
quòd à malo redimat, Gen. XLVIII, 16. à peccato Matth. I, 12.  
Atqui nihil horum ante lapsum erat. E. nec Redemptor. Ac  
profectò si Filius Dei etiam tum in carnem venire debuisset,  
videretur ex aliquo absoluto decreto venturum fuisse, quod  
Calvinis fiat. Facta est igitur Inscriptio non absolutè, sed  
*κατὰ πρόγνωσιν* s. intuitu lapsus Adamitici, vel ut clarius, homo la-  
psus objectum Inscriptionis est, quòd quia Deus ab æterno  
præviderat, hominem lapsurum abusu liberi arbitrii, ab æ-  
ternò statim de hominis lapsi reparatione cogitabat, ut ad vi-  
tam ordinari posset. Hinc tolle miseriæ statum, & sustulisti  
ipsam Inscriptionem in librum vitæ: *tolle morbos, tolle vulne-  
ra, & nulla erit medicinae causa*: non quòd hic status absolutè  
essentialis sit, & Deus aliter inscribere non potuerit, sed quòd  
*ex hypothesis inseparabilis*, quia nemo nisi lapsus, nemo nisi pec-  
cator ad salutem inscribendus & à miseria in gloriam deve-  
hendus erat. Ut proinde toto cœlo errent tum illi Schola-  
stici, qui propter decretorum Dei immutabilitatem statuunt,  
etiam ante lapsum Christum in carnem venturum fuisse, è  
quibus tamen, Becano teste T. I. tr. 2. c. 14. q. 4., eximendus est  
Thomas præprimis, qui cum antiquis Patribus negativam  
tuetur; tum Calvinistæ, partim, qui prædestinationem lapsui  
hominis præordinant, & hinc *Supralapsarii* dicuntur; partim,  
qui hominem insignò rationis divinæ prius prædestinabilem,  
quàm creabilem ponunt.

§. LXII. Postquam enim, secundum ipsos, Deus ab æterno  
proposuerat sibi manifestare gloriam suam in hominibus,  
absolutè decrevit de quibusdam glorificandis, quos glorifi-  
candos specialiter præscivit, præscitos dilexit, dilectos ele-  
git, electos prædestinavit, prædestinatos creavit, creatos vo-  
luit corruptos, corruptos redemptos, & sic porrò, ut gloria  
ejus manifestaretur. Sed quàm periculosum hoc dogma  
sit,

fit, inde facile liquet, quia (1) absolutum decretum pro fundamento habet, quò Deus absq; intuitu vel lapsus, vel securæ in Mediatorem fidei, aut incredulitatis quosdam rejecerit, quosdam elegerit. (2) prædestinationem malè anteponeit creationi, cum hujus decretum ordine prius sit decretò Inscriptionis ad vitam. (3) haud obscure Deum facit causam lapsus & peccati, ut qui hominem creatum lapsum voluerit, ut per lapsum gloriam manifestare posset.

§. LXIII. Nos meliora edocti hunc ordinem observamus: Cum scil. Deus ab æternò consilium de *πρωτογενεία* nostrâ inivisset, prævideret autem lapsum in protoplastis *universalem*, ex ineffabili & *universali* affectu *universale* consilium de *παλιγενεία* quoque nostrâ instituit, cogitavitq; de mediis talibus, quibus & justitiæ & misericordiæ satisfaceret. Convenientissimum erat, mediatorem interponi *universalem* cum decreto, ut omnes & redimerentur & redempti vocarentur, quæ tamen redemptionis & vocationis gratia ut rectè applicari posset, constitutum est medium à parte hominis *ληπτικόν* h. e. fides, ut qui redemptionem & vocationem illam verâ fide apprehenderit, justificaretur, justificatus renovaretur & confirmaretur; confirmatus autem & conservatus prædestinaretur s. in librum vitæ inscriberetur. Sed quia ex parte hominis Deus multorum impœnitentiam, plurimosq; illam gratiam rejecturos prævidebat, paucos verò credituros & apprehensuros; ideò ex speciali *ἔδωκ'α* & gratia proposuit illos perseveranter credituros salvare, salvandos præscire, præscitos specialiter diligere, dilectosq; in peculium seligere, prædestinare & in librum vitæ inscribere. Hic ordo Inscriptionis erat circa hominem.

§. LXIV. Ex quo apparet, neq; hominem, *quà homo est*, in librum vitæ assignari: sic enim nihil referret, quin omnes planè homines indiscriminatim inscriberentur: sed præsuppositò igitur primùm lapsu & miseriæ statu, quòd homo peccator objectum sit, quòdq; idcirco ille, qui peccato caret, in libro vitæ locum non habeat, quod obiter contra Ostorodum Instit. Theol. c. 33. 34. notari potest; requiritur præterea,

ut homo sit credens: hoc formale est inscribendi, hæc qualitas essentialis & conditio, quæ objectum determinat. Sine fide nulla inscriptio ad vitam est. Sed necessario credit, qui inscribitur: qui secus, ob prævisam voluntariam & vincibilem infidelitatem Christum non apprehendentem & ut finaliter continuatam rejicitur.

§. LXV. Contra quod assertum mordicus pugnant Calviniani, è quibus Piscator: *Nemo, inquit, ad vitam prædestinatus est conditionaliter, si crediderit, sed quotquot ad eam prædestinati sunt, absolute & simpliciter prædestinati sunt.* Vol. I. Loc. 19. th. 25. Polanus: *Causa, quâ Deus, ait, ad Inscribendum impulsus fuit s. propter quam Inscriptio facta est, non est voluntas hominis, nec prævisa fides, nec præscita hominum merita: nec dignitas generis, vel ullius alterius prærogativa, sed solum beneplacitum DEI in gratuita ejus dilectione fundatum.* Ubi quidem & nos libenter concedimus, fidem non esse Inscriptionis causam principalem, impellentem & meritoriam; nec sensus nobis est, quòd propter fidem inscribamur; nec quòd sit causa *movens*, nec quòd sit causa *merens*, sed quòd sit conditio, quam Deus in omnibus prærequirit, quotquot in librum vitæ inscribit. Juvat hîc audire B. nostrum Meisnerum Anthrop. dec. 2. disp. 14. qui convenientius quidem dicit, fidem nuncupare vel *conditionem electionis*, nec absolutam fingere, vel *partem ordinis prædestinatorii*: *Convenientissimum verò esse ait, asserere, fidem hîc non considerari seorsim ut causam peculiarem & à meritò Christi distinctam, sed conjunctim unà cum meritò Christi.* Quod accurate profectò dictum est, si *ἀνευ ἁγνεύματος* & judicare velimus; nec enim absolute & ratione sui fides hoc opus ingreditur, vel sine merito, sed relative & *ratione objecti*, quod Christus est in merito, spectatur. *Fides non est sine merito, nec meritum sine fide, sed utrumq; cum utroq; conjungendum.*

§. LXVI. Thesin nostram de conditione fidei supra quædantenus probavimus, plus roboris nunc addituri. Dicuntur electi *ἐκ τῆς πίστεως*, I. Tim. I, 16. & Eph. I, 1. 4. electi per Christum h. e. uti Theophylactus in h. l. ait, per fidem in Christum. Chrysofostomus: *Quid est, inquit, eligi nos in ipso? per fidem, quæ in ipsum est, vel: istud Christus, antequam nasceremur, disposuit,*



posuit, imò priusquam orbis fundamenta jacerentur. Qui ergo eliguntur, eliguntur in Christo. At nemo in Christo est, nisi per fidem Jac. II, 5: Deus nos elegit in fide 2. Thess. II, 23. *ἐν πίστει αὐτῆς* h. e. in fide vera. E. fides necessario includitur.

§. LXVII. Inquis: Si Inscriptio à fide pendet, sequitur, quòd nos ipsi inscribamur, fides enim nostra est, nos credimus. Resp. tum demum argumentum procederet, si fidem vel causam *principalem* moventem, vel *meritoriam* diceremus. At neutrum volumus. Deinde: Inscriptio pendet à fide, non ut *principiatum à principio*, sed ut *ordinatum ab ordinis parte*. Urges: Si fidem Deus prærequirit ab inscribendis, nemo planè inscriptus erit, quia in nemine fidem invenit sc. à naturâ. Resp. neque Deus fidem prærequirit ut è naturâ *haustam*, unde non potest; sed ut *per verbum excitatam & non excussam*.

§. LXVIII. Huc spectat, quòd Jac. II, 5. dicitur; nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide? Ubi licet de fide non agatur ut causâ, nam nec nos ut causam requirimus, agitur tamen de illâ ut *requisito & conditione præordinatâ*. Neque forsan Apostolus electos ita vocat in *ampliatione*, quòd post electionem demum tales futuri sunt, quasi fides prædestinationis effectus sit; sed *in statu* loquitur, neminem, nisi fide divitem, electum esse. Quod ipsum verò non intelligendum est eò modò, quasi *ὀλιγόπιστοι* non sint electi, *ὀλιγοπιστία* enim nihilominus paupertas ditissima est & totum Christum nihilominus apprehendit: sed divites fide h. l. non opponuntur pauperibus fide, verùm pauperibus mundi. Videantur Commentatores in h. l.

§. LXIX. Sed nec homo credens *proximum formale* objectum Inscriptionis est, nisi *finaliter credens*. Homo enim inscriptus in librum vitæ & credens non æquè latè patent, sed solus finaliter credens. Benè huc quadrat, quòd generatim olim de Christianis Hieronymus dixit: *Non quaruntur in illis initia, sed finis*. Idem eòdem jure de inscriptis in librum vitæ: non quaruntur in illis credendi initia, sed finis. Et quemadmodum fiducia hominis credentis in Christum firma, ita & per-

perseverans esse debet. Etenim nemo victor, nisi vicerit, dicendus est: nemo triumphator ante victoriam. Milites sumus, pugnandum est, ut vincamus pugnando. Illius demum nomen è libro vitæ non delebitur, qui Victor prius abiit, Apoc. III, 5. *Vincentes autem illi sunt*, (ut verbis utar Magn. Dn. Præsidis l. c.) *qui dum in his terris versantur, verâ fide Christo constanter adherent, & contra Satanam ac mundum depugnantes heredes vitæ æternæ scribuntur*, sicut id explicatur cap. II, 10. Esto fidelis usq; ad mortem. Qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit, Matth. x, 23. Marc. XIII, 13. Quamobrem omnibus & singulis, qui in libro vitæ assignari h. e. salvari gestiunt, allaborandum est seriò, ut cum Paulo bonum certamen certent, cursum consumment, fidem servent, adeoq; repositam coronam justitiæ accipiant, 2. Tim. IV, 7. Non bene incepisse sufficit, nisi bene desinatur. Non qui inceperit, sed perseveraverit usq; ad finem, hic salvus erit, inquit Bernhardus. Nam hac ipsâ de causâ, quòd oleum virginibus fatuis defecerat, excludebantur vitâ cœlesti, Matth. xxv, 4.

## CAPUT VIII.

### *De Objecti Quantitate discretivâ.*

§. LXX. A qualitate ad *quantitatem* rectâ succedimus, ut exposito, qui & quales in librum vitæ inscribantur, constet non minus de quantitate, quot inscribantur. Equidem mens non est, *τὸ πᾶρδὸ γὰρ ἕρπαιος φεγεῖν*, quod Apostolus vetat 1. Cor. IV, 5. obtinetq; hic illud Ambrosii l. I. de Vocat. Gent. c. VIII. *Non loquamur de profundis nimium, ne incidamus in profundum*: quod proculdubio futurum esset, si mysterium hoc decempedâ sensuum metiri velimus, inq; arcana Dei decreta temerè inquirere, ac scire, quos nominatim & in individuò, vel quot distinctè ac determinatè inscripserit. Verùm eatenò tantum in præsentì differemus, quoad per revelationem licet, agendo sc. non de inscriptis in *individuo & singulari*, quos solos Deus solus novit 2. Tim. II, 9. verùm in *particulari*, esse eorum quantitatem aliquam certam ac definitam respectu  
intel-

*intellectus increati, indefinitam verò quoad nos s. intellectum creatum. Haud enim dubiè, inquit Liber Christ Concord. exactissime & certissime DEus ante tempora mundi praevidet, & hodiè etiam scit, quinam ex conversis in fide perseveraturi, qui non; qui in peccata gravia prolapsi sint reversuri, qui non, & qui sceleribus perituri, ita ut eorum numerus, qui salvantur & damnantur, DEO probe sit notus. Ut non malè hinc Thomas q. 23. art. 7. dicat, numerum Inscriptorum soli Deo certum esse non solum formaliter, sed & materialiter: non solum ut cognitum, sed etiam ut electum & praediffinitum.*

§. LXXI. Quòd pauci admodum libro vitæ inscripti sint, non omnes, ex cap. præced. facile fluit. Si enim fides finalis necessarium & inseparabile requisitum est hominis inscripti vel inscribendi; non omnes autem finaliter credunt, sed vel gratiam oblatam repudiant, vel à fide prorsus deficiunt, consequens est, nec omnes in librum vitæ scriptos esse. Notes: non loquimur impræsentiarum de voluntate DEI prima & antecedente, quâ maximè omnes salvatos cupit: sed secundâ & ordinatâ; imò de hominis vel fidelitate, vel incredulitate: Deus primò intendit universaliter omnium salutem, vult omnes finaliter credere, adeoque omnes in librum vitæ assignari: sed quia homines vocati non audiunt, vel non recipiunt aut custodiunt, ideo intentio Dei sola inscriptionem non facit, sed recusantes deletionem, qui propterea rejiciuntur.

§. LXXII. Ac ipsum quidem Electionis s. Inscriptionis nomen si consideres, particularitatis notam præ se fert. Dicitur etiam viventium liber, quo ipso statim percipimus, viventes mortuis contradistingui, & præ his in librum vitæ scribi. Ast illi demùm verè vivunt, qui fide vivunt. nemo, Scriptura asserente, salvatur, nisi qui crediderit, Marc. xvi, 16. Atqui non omnes credunt, quod pariter & asserita Scripturæ & ejus exempla docent. E. nec omnes salvabuntur. E. nec omnes libro vitæ inscribuntur. Porro: Quisquis in librum vitæ scriptus est, salvabitur certò, Dan. xii, 1. Verùm non omnes salvabuntur, sed multi sunt, qui in stagnum ignis mittentur, quique non inventi sunt in libro vitæ, Apoc. xx, 15. Ergo

G

εξ ἀνά-

ἐξ ἀνάγκης colligitur, neque omnes in librum vitæ scriptos esse.

§. LXXIII. Quare insigniter erravit seculò abhinc anno 1593. Professor in hac Wittebergenſi Academia Huberus, qui novitatis studio ductus hanc heterodoxiam diſſeminavit: Electionem, ſ. quod nobis idem eſt, Inſcriptionem in librum vitæ eſſe *indeterminatam* & univerſalem omnium omninò hominum ſine ulla diſcretione ſ. credentium ſ. non credentium; quin eò abſurditatis diſceſſit, ut Turcas etiam & Judæos non tantùm gratiam Dei habere, ſed & electos & vitæ libro inſcriptos ſtatuerit. Ante ipſum quidem inter noſtrates etiam Theologos tum temporis erant, qui Electionem, ſed *alioplane ſenſu & reſpectu diverſo*, univerſalem aſſerebant: hanc verò univerſalitatem nihilominus limitabant ſub conditione fidei q. d. Omnes omnino, qui in Chriſtum credunt finaliter, in librũ vitæ ſcriptos eſſe, quod fanè ſine veritatis naufragio aſſeri poteſt. Hic percipio *univerſalitatem*, at *limitatã* nihilominus ſub reſtrictione fidei, quæ, ut ita loquat, *univerſalitas* certo modo *non eſt univerſalis*, certo modo contra *rectè univerſalis*. Alii verò iterum reſpectu diverſo Electionem *particularem* defendebant, reſpectu hominum in genere, quòd quia non omnes homines credant, ideò nec omnes electi ſint. Quæ indiftincta licet terminorum ſignificatio, ſine ulla tamen contradictione tum obtinebat. Aſt Huberus turpiter deficiens, eò falſitatis ab his abibat, ut omnes omninò homines *ſine reſpectu* electos diceret contra ipſiſſima Salvatoris verba: Pauci ſunt Electi Matth. xx, 16. & cap. xxii, 14. Ad quæ verba quidem diſtinctionem, ſed impertinentem prorfus aſſerebat, diſt. inter *ἐκλεκτὸς* & *ἐκλελεγμένους* ſ. inter electos nominaliter & participialiter tales: conceſſit, paucos electos eſſe nominaliter, dixit tamen omnes electos participialiter, non ſecus ac ſicut in ludo literario omnes quidem pueri docti ſunt à præceptore *participialiter*, at nō omnes docti *nominaliter*, quia non omnes apprehendunt: quam diſtinctionem jamdudum celeberrimi exploſerunt Theologi. V. Hunn. ex profeſſiō de prædeſt. & B. Hutt. LL. CC. l. c.

§. LXXIV.

§. LXXIV. Cæterum *ἡγορήματα*, quæ ipse quarit, multa sunt, sed in omnibus ferè extra oleas vagatur. Primum enim malè ab affectu DEI Universalis antecedente concludit ad universalem consequentem, id quod ipse, quoad orthodoxus esse volebat, non debuisset facere. Deinde Deus non statim quos diligit generaliter, eligit. Omnes creaturas affectu generali profequitur, sed ab affectu hoc generali dilectionis ad specialem electionis & Inscriptionis argumentari velie, est bruta quoque electa dicere. Quòd si verò Electionis nomen quis *κατὰ γενήσιν* pro tali dilectione sumserit, tum lis non in rebus amplius, sed in verbis hærebit. Porro: non, quos Deus vult sanctos esse, statim electi sunt, sicut nec omnes, quos Christus redemit, in librum vitæ scripti. Redemit Christus totum mundum & in illo reprobos quoque, quos tamen nemo Inscriptos & electos dixerit. Præterea pari modo ab universali gratiæ oblatione ad universalem electionem consequentia negatur. Differunt enim hæc duo, ut laxius & angustius differunt, seu quod præstat, uti prius & posterius. Sic eadem ratione ficulneum est Huberi argumentum, quando ab Universalis creatione ad universalem Inscriptionem argumentatur, quasi quia Deus omnes homines creaverit, ideò omnes quoque absolute eligendi sint. Quid? hac ratione brutis etiam Inscriptio in librum vitæ communis esset, quippe quæ non minus creata sunt, quàm homines.

§. LXXV. Illud, quod I. Thess. v, 9. dicitur, Deus nos non posuit ad iram, sed eis *ἡμεῖς* *ἡμεῖς* *ἡμεῖς*, non generaliter & indiscriminate de omnibus hominibus, sed de solis electis intelligendum est. Vel etiam distinctio inter voluntatē antecedentē & consequentē hic obtinet. Sic nec illud valet: Christus omnibus reparavit justitiā. E. omnes actu justificantur & salvantur. Christi meritum non ut *præstitum*, sed ut *applicatum* salvat. Quia verò pauci applicant, hinc pauci quoque salvantur. A donis ad subjecta futilis est sequela. Dona quidem Christus acquisivit, sed subjecta dona acquisita sibi debent applicare. Breviter: Ab universalitate meriti Christi in esse acquisito ad universalitatem ejus in esse applicato N. V. C. Christus pro omnibus mortuus est. modò omnes pro se mortuum applicando crederent.

§. LXXVI. Est & manet ergo Inscriptio in librum vitæ paucorum tantummodò hominum, sc. finaliter credentium, quæ paucitas absit tamen, ut ulli ullam desperationis ansam præbere, aut adhortationes ad pœnitentiam annihilare dicatur: quin imò contrariû sequitur. Paucitas hæc ita *fatalis* non est, ut absolutè quidam homines tantùm absque intuitu fidei vel incredulitatis electi sint, cœteri autem, quicquid etiam agant, salvari tamen non possint. Quod si statueremus, am-  
babus concedendum esset, desperationi sic portas aperiri. At nostra particularitas tale nihil sapit, sed ipsa *in hominis voluntate* sita est; & ideo desperationem potius præcavere, quàm promovere dicenda est. Calcar addit, quò homines ad pietatem magis magisque suscitantur. Aliàs si hæc particularitas desperationem pepererit, etiam *salvatio* pariet, utpote quæ pariter particularis est. Sed quid porrò? Summæ consolationis hæc doctrina electis plena est. Nōrunt credentes, certò ac infallibiliter se inscriptos & salvandos esse, quia verâ fide in Christi meritò nituntur. Hinc talem intra se *ωεγ-  
θεω* formant: *Quicumq; finaliter sunt in Christum credituri, illi in librum vitæ scripti sunt.* Subsumunt fideles de perseverantia suâ per SS. testimonium certi: *Atqui ego finaliter crediturus sum,* quia Deus specialiter me diligit, Christus intercedit, Spiritus S. confirmat & conservat. Hinc ex *Individuali hac subsumptione* sequitur infallibilis Conclusio: *Ergo ego in librum Vitæ scriptus sum, ideoq; certò salvabor.*

§. LXXVII. At nemo Calvinista ita subsumere potest, incertus quippe ac dubius, an voluntas Dei *absoluta* ipsum in librum vitæ scriptum voluerit, nec ne. Atque *in eo nostra particularitas ab eorum particularitate differt,* quòd hæc in *absolutâ DEI voluntate*, illa in *hominis voluntaria* s. *fidelitate* s. *incredulitate* posita est. Nam Deus juxta ipsos *tum ex jure æveuθύωω  
ωωεθθχñs* & *absolutò dominii;* tum *ex subordinatò* & *ad peccatum reflexo* *judicii prædestinavit quosdam, ut vel quâ creatura, vel quâ vitiose facta condemnarentur,* uti loquitur Varenius Theol. Controv. de prædest. p. 43. Sed blasphemè profectò sic causa omnis culpæ & damnationis in voluntatem Dei transfertur, quæ

quæ tamen cum *intentione directâ perductionis ad salutem*, sine simulatione omnes homines antecederet voluit salvos, ut videre est ex Universalis Redemptione, & gratiæ oblatione, quæ omnibus hominibus communis est. Unde Deus, Origenæ teste Tract. 4. in Matth. *quantum ad se homines non ad perditionem creavit, sed ad vitam & gaudium*. Et Clem. Alexandr. *ὁ χριστὸς ἵπὴν κοινὴν εἰς θανάτων ἐλήλυθεν σωτηρίαν*: ut impius sit, qui Redemptionem Christi particularem statuendo particularis Inscriptionis causam ibi fortè velit querere.

§. LXXVIII. Quò verò tandem annum in mensem contrahamus, ultimo loco quærendum est breviter; *an particularitas ista numero certo, ac infallibili distinctè determinari possit*, ut discretè, qui & quot numero distincto in librum vitæ scripti sint, *quoad nos* scire liceat? Dixi quoad nos: nam ante omnia distinguendum est *inter intellectum increatum* s. infinitum & *creatum* s. finitum. Quæstio quoad DEUM omninò vera est sine ulla exceptione, novit enim Deus, qui sint sui, 2. Tim. 11, 9. Et inscriptorum *numerus DEO ita certus est*, Augustino teste l. de corrept. & grat. cap. XIII. *ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis*. NB. Notanter dicit D. Pater, ut nec addatur, nec minuatur; non dici; ut nec addi potuerit, nec minui, qui sensus in Calvinii Scholam ablegandus esset. Ille enim cum suâ turbâ hunc numerum ita fatalem facit, ut nullo modo augeri vel minui potuerit: Aut, quod ajunt, Inscriptorum in librum vitæ Catalogum *tam immutabiliter prædefinitum* esse, ut plures non potuerint inscribi, etsi omnibus viribus inscribi contendere, quod blasphemum est & contra Dei voluntatem. Hæque potius, nescio, quæ, tabulæ Rhadamanthæ, quàm liber vitæ & viventium futuræ essent; Vid. B. Meisn. l. c. p. 185. Contrarii loco unicum Tyriorum, aliorumq; exempla sufficiant. Etenim si Tyrii, Sidonii, Sodomitæ & Judæi, qui in suâ obstinatione perierunt, salvari potuerunt, falsum est, quòd Deus ad *numerum quendam fatalem* ita salvandorum cœtum arctaverit, ut eundem *augeri simpliciter impossibile* fuerit. At prius Evangelista teste, Matth. XI, 21. & Apostolo Rom. XI, 23. verum est. E. posterius etiam. V. Eccard. Fascic. Controv. de prædest.

3. LXXIX. Quantumvis autem numerus Inscriptorum di-  
 cto modò fatalis non sit, *certus* tamen est ac *infallibilis*, cogno-  
 sciturque à Deo tam *numerans*, quàm *numeratus*, veluti di-  
 stinguunt, h. e. & quot & qui inscripti sint, *distinctissimâ cogni-  
 tione*: nobis verò innotescit *confusè tantum*, ut sciamus nu-  
 merum quidem certum esse & exiguum, quos verò individua-  
 liter & quot comprehendat, ignoremus. Vocat Scriptura  
 numerum electorum exiguum, *ὀλίγοι καὶ σωζόμενοι*, Luc. XIII,  
 23. At non in se & absolutè, sed *comparativè* ad numerum da-  
 mnatorum, utpote qui multò major numerò beatorum,  
 Matth. XX, 26. *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant*,  
 rogabat olim ab Auditoribus suis Chrysostronus, respon-  
 dens ipse: *infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen*:  
*Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin &  
 de his dubito*. Homil. 40. in Act. Apost. Laborandum proin-  
 de, ut cum timore & tremore salvi fiamus, Phil. II, 12. Et bea-  
 tus ille, qui semper est pavidus, Prov. XVIII, 14. nam *qui pavet,  
 cavet*, ut Bernhardus loquitur, Job. IX, 28.

6. LXXX. Sed hic unus adhuc scrupulus aures vellicat, *an  
 sc. quis in Individuo de Inscriptioe sui in librum vitæ certus esse  
 possit?* quod dubio procul asserendum est contra Pontificios,  
 qui negant, præsumere quem posse ex multitudine fidelium  
 se esse, quamdiu in hac mortalitate vivatur: è quibus Beca-  
 nus id absq; speciali revelatione vix posse sciri affirmat Tom.  
 I. tr. 2. q. 6. n. 6. Nos probam9 contrariù ex testimonio Sp. S. *qui  
 dat testimonium Spiritui nostro, quod simus Filii Dei, & consequen-  
 ter heredes vitæ aeternæ*, Rom. VIII, 16. *Qui credit in Filium, testi-  
 monium habet in seipso*, I. Joh. V, 10. *ὁ δὲ ἐὶς τὰ ὁμοιωτά τῆ ἐν αὐτῷ  
 ναταὶ ἀπὸ τῆ ἐν ἐκείνῳ καὶ πατρὶ ὁμοίως*, inquit Salvator, Joh. X,  
 29. *τίς νῦν ἀποκρίσεται ἀπὸ τῆς ἀγαπῆς καὶ τοῦ ἁγίου*; Rom. VIII, 33. Sua-  
 rez l. I. c. 3. urget; prædestinationem s. Inscriptioem pendere ex  
*libera Dei voluntate*, cuius determinationē cognosci non pos-  
 se, ait, nisi *vel ex effectu* videatur, *vel specialis revelatio* habeatur.  
 Verùm determinatio voluntatis divinæ è Scriptura satis ap-  
 paret, hinc non opus est, ut aliquam aliam specialem revela-  
 tionem expectemus. Annon *satis determinata* est Dei volun-  
 tas,



tas, quando neminem vult salvari, nisi qui crediderit in Christum? Voluntas Dei ergo est, credentem salvare: at id Christianus absque speciali revelatione scire potest, utrum credat, nec ne? Ergo etiam absque speciali revelatione scire potest se salvatum iri; & certus esse consequenter de Inscriptione sui, si non *certitudine absolutâ, conditionatâ tamen*, veluti distinguit B. Kunadus, in Comp. Theol. disp. xii. th. 7. Quæ verò conditionata certitudo dubitationi locum non cedat, & si venerit, ut electus de salute suâ dubitabundus hæreat, tum se optimè eriget (1) *Christi amore* (2) *peccatorum remissione* (3) *fide in Christum* (4) *probatione vite*, &c. quod Brochmandus monet Syst. Theol. art. de prædest. Cæterum non absonum erit, dictum Tertulliani huc apponere l. de Bapt. *Fides integra, inquit, securam est de salute.* Et Cypriani Serm. 4. *Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mæstus, nisi cui spes & fides deest?* *μη διψυχῶμεν*, monet Clemens Rom. citante Dannhauero Dram. Sac. Act. i. Theol. i. pag. 282. *μηδὲ ἰνδαλέθω ἡ ψυχὴ ἡμῶν ἵπὶ ταῖς ὑπερβαλλούσαις καὶ ἐνδόξοις δωρεαῖς αὐτῆς.*

## CAPUT IX. & ultimum.

### *De Immutabilitate Inscriptionis in Libram vite.*

§. LXXXI. De *sine* Inscriptionis nobis prolixis hîc esse non licet. Verbo: spectatur ille *vel quoad DEum, vel quoad nos.* *Quoad DEum* finis est glorificatio gratiæ ejus. *Quoad nos* iterum *vel intermedius est, vel ultimus.* Ille sanctificatio hominis in regno *gratiæ*: hic glorificatio sive salus æterna in regnò *gloriæ*, Ephes. i, 4. *Electi sumus, ut simus sancti.* Et Es. iv, 3. *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vitâ Jerusalem.* Ac sicuti *terminus à quo* Electionis est miseriæ status; ita *terminus, ad quem* ultimò electi tendunt, status gloriæ est. Omnis qui in libro vitæ scriptus inventus fuerit, salvabitur, Dan. xii, i. Id quod de fine *ἡ ἀσφαλιστικὴ* monendum erat. Accedimus *attributum Immutabilitatis*, cætera enim non opus est, ut vel prolixè deducamus, vel quia passim perse-

seve-

severantia, aternitatis, paucitatis, certitudinis mentio inje-  
cta est, cramben bis coctam afferamus.

§. LXXXII. Quod enim Inscriptio in librum vitæ ab aeterno  
facta sit, illustria scripturæ loca testantur ut Apoc. xvii, 8. *ὡς  
καταβολῆς ἔκδοσις*, Eph. i, 4. 2. Thess. iii, 13. *ἀπ' ἀρχῆς*, 2. Tim.  
i, 9. ante tempora secularia Matth. xxv, 34. *ὡς καταβολῆς*.  
Quia e cum hac de re dubium esse vix possit, nihil præter Au-  
gustini dictum apponimus: *Antequam faceret nos*, inquit  
ille, *præscivit nos & in ipsa nos præscientia, cum nondum fecisset, e-  
legit*. Et alibi: *Intra mundum facti sumus & ante mundum electi  
sumus*. A supernis, verba sunt B. Hunnii, *jam olim prædefinita  
erant, quæ in nos derivata sunt, neq; enim recentia sunt vel nova, sed  
à principio dispensata ordinataq;.*

§. LXXXIII. Gravior est controversia de Immutabilitate,  
de qua ut *κρινόμενον* s. status rectè percipiatur, talis quæstio  
formanda venit: *An qui semel in librum vitæ scripti sunt, ex eo  
rursum deleri queant?* quod negatur. Ratio negandi defu-  
mitur tum è *Scripturâ*, tum è *ratione*. E *Scriptura*, & quidem de  
Electis in genere, (1) à dicto Christi: *Vitam ego aternam do-  
ovibus meis & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas,  
quisquam de manu mea*, Joh. x, 28. 29. (2) *ab ejus Intercessione*:  
rogat enim Dominus ibid. cap. xvii, 24. *Patrem, ut ubi ipse  
est, & illi sint, quos dederit, ut videant claritatem ejus*. (3) *ex  
fundamento Paulino*, 2. Tim. ii, 19. *Firmum fundamentum Dei  
stat, habens signaculum hoc: novit Deus, qui sint sui*. In spe-  
cie verò de Inscriptis in librum vitæ (α) à dicto Danielis c. xii,  
1. *Salvabitur omnis populus, qui in libro scriptus inventus  
fuerit* (β) *ex opposito*: Apoc. xx, 15. *Qui non inventus fuerit,  
mittetur in stagnum ignis*. Et c. xxi, 26. *non intrabit in cœle-  
stem Jerusalem, nisi qui scripti sunt in libro vitæ*. E *Ratione*  
probatur, tum quia *DEUS scribens est immutabilis* tam in volun-  
tate & decretis, quàm in essentia: *Ego Dominus & non mu-  
tor*, Mal. iii, 6. *Uti enim in Deo immutabilitas essentia, ita &  
sententia est, quod Veteres dixere; tum quia decreta DEI sunt  
firma & ἀμεταμέλητα*, Rom. xi, 26. tum quia *præscientia DEI falli  
non potest*. Hinc benè Becanus Tom. i c. xiv. pag. 52. *Scientia  
DEI,*

DEI, inquit, quâ cognoscit aliquos prædestinasse ad vitam æternam, est immutabilis. E. si aliquem cognoscit perventurum ad vitam æternâ, ille reverâ perveniet. Et August. l. 20. de C. D. Liber vitæ est præscientia Dei: sed à præscientiâ Dei non potest aliquid subtrahi, citante Thoma art. 3. qui & ipse hoc alio modo probat, ajens: *Quicquid est in aliquo, est in eo per modum ejus in quo est. Sed liber vitæ est quid æternum & immutabile. E. quicquid est in eo, est in eo quoque indelebiter & immobiliter.* Pergitq;: sicut nemo, inquiens, de novo potest scribi in libro vitæ, ita nemo inde deleri. Tum verò impossibile etiam est, ex electo fieri reprobum, fieret autem, si è libro vitæ quis deleri posset. Quid? quòd si Deus, teste Magn. Dn. Præf. l. c. ullo modo adduci posset ad delendum, nulla alia re quàm incredulitate adduceretur: hæc enim sola damnat. Atqui Deus jampridem ab æterno infallibiliter præcognovit, qui non credituri essent, & propterea tales nunquam inscribit.

§. LXXXIV. Sed videntur huic assertioni nonnulla Scriptura loca contrariari, ut quando Moses ex hoc libro deleri cupit, Ex. xxxii, 32. David rogat, ut aliqui deleantur de libro viventium Psal. Lxix, 29. Filius Dei promittit, se ejus nomen, qui vicerit, è libro vitæ non deleturum Apoc. iii, v. 5 Ex quibus sequi videtur, esse possibilitatem deletionis. Verum ἡ δὲ πρὸς ἑπὶ. Nihil jam nunc dicâ, quod primum locum attinet, alios librum legis, Cajetanû primatûs dignitatem, Hieronymum librum vitæ naturalis intelligere, quorum tamen sententias nulli probamus; Vel quod Burgenfi placet, quem citat Becanus Tom. i. c. xiv. q. 8. n. 8. librum, in quo gesta insignium virorum populi Israel describebantur, quemq; librum justorum vocat; cui sententiæ ipse etiam Becanus favet, ajens: *Sic potest intelligi: non volo quenquam delere de libro virorum illustrium, nisi qui peccaverit.* Ejusdem mentis est Vasquez, qui nihil putat obstare, quò minus sensus Burgenfis literæ quadrare possit in Thom. art. 3. q. 24. quem verò rectè refutat Svarez ex eo fundamento, quòd liber hic à Deo scriptus dicatur: dele me ex libro, quem scripsisti. Atqui liber Virorum illustrium peculiaris à Deo scriptus non e.

H

Verum-

Verum enim verò quicquid hujus sit, nos concedemus, uti & merito concedendum est, librum vitæ intelligi: attamen tantum abest, quòd inde *possibilitas mutationis* probari possit, ut potius contrarium obtineat. Moses enim *non absolute & à plòs* ita petiit, *sed n̄ si sub conditione*, si possibile foret q. d. Si fieri potest, mi Deus, dele me, paratus sum vel propriæ meæ salutis jacturâ damnationem hujus populi redimere, interprete B. Huttero. Vel etiam nihil obstat, quin heic distinguamus *inter deletionem privativam & negativam*. Illa quidem præsupponit Inscriptionem: hæc verò neutiquam. Eum delebo, inquit Dominus, qui peccaverit mihi. Atqui Deus ab æterno præcognoverat, qui peccaturus erat. Et quia prævisio erat infallibilis, hinc ne inscripsit quidem, quem peccaturum finaliter præviderat. Hæc autem non-inscriptio dicitur *deletio negativa*, h. e. ut verbo rem dicam, *negatio inscriptionis*. Idem eodem modo explicat Suarez, dicendo, phrasin Scripturæ esse, *negationem per modum affirmationis* explicare, sicut dicitur Deus odio habere, quem non diligit peculiari modo: ita juxta ipsum deleri de libro vitæ nihil aliud est, quam non scribi in illo.

§. LXXXV. Eadem fidelia dealbamus alterum parietem in eruendo dicti Davidici Psal. LXXIX. sensu. Quanquam enim Thomas ad h. l. interpretante Suarezio tr. 2. l. 1. c. xx. dupliciter dicat aliquos in libro vitæ scribi, scilicet aut *solum quoad vitam gratiæ temporalis*, aut *quoad vitam gratiæ perpetuæ* h. e. æternæ gloriæ; de illis asserens, posse deleri: de his verò, non posse: melius tamen est, si de ipsa vitâ gloriæ intelligatur. At enim hoc nihil obstante, aliæ adhuc responsiones, quibus hæc objectio solvi possit, sufficiunt. Responsio Thomæ præsupponit aliquem librum vitæ gratiæ, quo de nobis nec temerè quicquam affirmare, nec negare placet. Cæterum id analogiæ fidei non repugnat, ac si non *de factò*, seu juxta Scripturæ usum, *de possibili* tamen h. e. quatenus Scripturæ non repugnat, concedi potest. Distinctionem antè datam inter deletionem negativam & privativam applicat ad hunc Psalmi in dicto sensum Vazquez, eam optimè quadrare dicens  
pro-

propter sequentia verba: Et cum justis non scribantur. Augustinus distinguit inter deletionem κατ' ἀλήθειαν & κατ' ὁξάν, concedit incredulos h. l. deleri in libro vitæ κατ' ὁξάν, quia ita videntur deleri: negat verò κατ' ἀλήθειαν, quia nunquam inscripti erant. Quo ipso responso ipse Thomas utitur part. 1. q. 24. art. 3. Respondeo, inquit, dicendum, quod quidam dicunt, de libro vitæ nullum posse deleri *secundum rei veritatem*, posse verò *secundum hominum opinionem*. Est enim consuetum in Scripturis, ut aliquid dicatur fieri, quando innotescit, & secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libro vitæ, in quantum homines opinantur eos ibi scriptos, propter præsentem justitiam, quam in eis vident. Sed quando apparet vel in hoc seculo, vel in futuro, quòd ab hac justitia exciderunt, dicuntur inde deleri. Quo sensu sensus dicti Davidici ita explicandus foret: Deleantur h. e. innotescat ipsis, se non scriptos esse. Huc pertinet doctissima Resolutio B. Gesneri in Dan. xii. qui triplici respectu impios in libro vitæ scriptos asserit (1.) *ratione mediorum* (2.) *ratione externæ conversationis* (3.) *ratione propria persuasionis*. Dicuntur ergò deleri, quando palam fit, ipsos media salutis contempnissse, sanctitatem falsò jactasse & viva membra Ecclesiæ nunquam fuisse. Alii distinguunt inter *deletionem ex parte DEI* & *ex parte hominum*, quæ distinctio cum priori ferè coincidit: illam impossibilem dicunt, hanc verò tum ajunt fieri, quando hominum, qui se in librum vitæ scriptos esse autumant, facta imaginatio falsa esse ostenditur, cujus etiam sententiæ Thomas est, qui dicendum esse, asserit, quòd *deletio non refertur ad librum vitæ ex parte præscientiæ*, quasi in Deo sit aliqua mutabilitas, *sed ex parte præscitorum*, quæ sunt mutabilia. In quibus responsionibus optimam, qui volet, ipse eligat. Nos priores assumimus; posteriori tamen non rejectâ, sed quòd illæ præ hac arrident. Videri in hanc rem possunt B. Hutt. LL. CC. art. 22. Controvers. 8. spec. q. 6. B. Meisner. Anthrop. Dec. 2. disp. 15. Magnif. Dn. Præses disp. de Lib. Vit. l. c. Et si placuerit, Thomas, Vasquez, Suarez loc. citatis.

§. LXXXVI. Cæterum arma cætera, quibus Huberus hinc

se roborat, multa sunt, sed sine spe victoriae talia. Loca enim quae affert, vel loquuntur *de regeneratione & renatis* ut I. Cor. x, 12. Rom. viii, 13. quam mutabilem esse i. e. excuti posse, nemo negat. At male *à regeneratione ad Inscriptionem* in librum vitae consequentia procedit. V. cap. 3 §. 27. *vel impotentia sunt ad obtinendum*, quod volunt, ut quando Paulus Rom. ix, 3. Optabam, inquit, ego anathema esse à Christo pro fratribus meis. Ubi pariter *à voto Pauli hypothetico ad possibilitatem deletionis N. V. C.* Optat, si fas esset, si liceret, aut si à Deo daretur optio, quod Waltherus interpretatur in Harm. Bibl. in Ep. Rom. ix, p. 1071. quanquam alii tempora & statum Apostoli distinguendo aliter respondeant, ut Hieronymus, Anselmus, Cajetanus, Becanus, loqui scil. Apostolum de eo tempore, quò adhuc sub Judaismo erat. Illud, quod Apoc. iii, ii. habetur; *καὶ ἔτι, ὁ ἔχεις, ἵνα μὴ δῶς τὸν βιβλίον σου* intelligendum est non *de coronâ vite aeternae, sed ministerii*. Sic Apoc. ult. v. 19. Johannes loquitur de falsis fratribus & hæreticis, qui sanè uti nunquam in librum vitae scripti sunt, ita nec *proprie & privative* deleri dicuntur, sed *metaphorice & negative*, quatenus nunquam inscripti fuerunt.

§. LXXXVII. Nec obstat, quòd Inscripti in librum vitae *mortaliter* peccare possint. Peccant *mortaliter*, sed non *finaliter* ob Dei veritatem, Christi intercessionem, decreti divini firmitatem & præscientiæ divinæ infallibilitatem: *Super quæ fundamenta salus electorum ita fundata est, ut inferorum portæ adversus eam prævalere nequeant*, uti Formul. Concord. loquitur. Et solida Declaratio: *In prædestinatione nostra salus ita fundata est, ut etiam inferorum portæ adversus eam prævalere nequeant: scriptum enim est: oves meas nemo rapiet de manu mea*. Notatu digna sunt verba Cajetani in Thomam l. c. Scito, ait, quòd *ly deleri ex parte deletorum non importat Scripturæ cassationem, sed mutationem de scriptis in non-scriptos*. Et Vazquez cum illo: *deleri de libro vite secundum notitiam nihil aliud est, quàm id, quod antea à DEO præsciebatur, non præsciri*: at cum scientia Dei variari nequeat, consequitur, neminem deleri de libro vitae secundum notitiam. Ut adeò, dicente B. Feurbornio

in Anti-Ostrod. disp. 32. p. 483. *impossibile sit in scriptos perire  
impossibilitate hypotheticâ. Positâ enim hac hypothese, eos homines  
ab æternò ad vitam esse ordinatos, quos Deus prævidit perseveran-  
tes, hypotheticè impossibile est eos finaliter defecturos, sic enim præ-  
scientia DEI falleretur.*

§. LXXVIII. Coronidis locò quæritur, *an quis ante mortem  
possit in librum vitæ scriptus dici, quod ex eo videtur negandum  
esse, quia nemo novit, an quis ad finem sit perseveraturus.*  
Resp. *D. inter judicium simplex & conditionatum.* Si de sim-  
plici sermo sit, concedendum est, de nemine sciri hoc posse.  
Interea tamen conditionatè judicare possumus, hunc vel il-  
lum certò in scriptum esse, si fidem cum Paulo conservaverit.  
Benè B. Meisnerus l. c. *De omnibus benè speramus, nihil tamen cer-  
ti affirmamus, quia aliud charitatis, aliud veritatis judicium est.*  
Sic teste B. Hunnio de prædest. Paulus de Clemente & reli-  
quis suis cooperariis secundum charitatis regulam ex effe-  
ctis fidei & indiciis in oculos incurrentibus judicabat: nihi-  
lominus inficiari non debemus, potuisse hoc judicium (quò  
de aliis judicabat Paulus) falli, quemadmodum Demam pu-  
tabat & in cælo scriptum esse & salvatum iri: diversum verò  
docuit ejus à fide defectio. Sufficiat præterea Chrysoctomi  
dictum in Epist. ad Rom. τὸ μὴ γέλειν πάντα τὰ βαῖθι εἰδέναι &  
μικρὸν εἰδέναι τὴν μὴ εἶρον. Libenter itaque nesciamus, quæ  
scire nostra parum refert, an se alii in librum vitæ scripti sint,  
nec ne: modò unusquisque benè de quovis alio cogitet, stu-  
deatque pro semetipso, ut cum timore ac tremore salutem  
conficiat, Phil. II, 12. deque sua perseverantia indubius sem-  
per ac perpetuò perpetuam Dei Patris dilectionem ob ocu-  
los ponat, fidelem Christi intercessionem consideret, Dei  
potentiam, ac voluntatem perpendat, atque sic omninò gau-  
deat, certò certius sibi persuadens, nomen suum in cælo scri-  
ptum esse. Agite gaudeamus, quòd nomina nostra in cæ-  
lo scripta sint: hoc gaudium tum verò demum perfectum e-  
rit, quando in extremo judicio nomina nostra Deo semper  
notissima, inque ejus memoria quasi in libro custodita pa-  
tescent; quando fides nostra ab æterno prævisa & in tem-

pore præstita à Christo Iudice commendabitur. Gaudeamus in tempore desiderantes, gavisuri tandem in æternum ac triumphantes

*SINE FINE.*

**LAUS DEO MEO!**

---

**H**is, KETNERE, tuum fatagis præscribere nomen  
Scriptis, quæ mundo commoda dupla ferunt.  
Nempe Librum Vitæ monstras; & nomina sanctè  
Huic inscripta unquam posse perire, negas.  
Dignus es ergo tuum sit scriptum in partibus orbis  
Nomen, ut in Vitæ scriptus es ipse Libro.

*JOHANNES MEISNERUS, D.*

---

**Q**uætantus amor Temet, sacros tractare labores  
Ceperit, hæcce satis pagina docta docet.  
Hinc Tibi Sionides Musæ pia munera reddent,  
Et IOVÆ & Patriæ gratus erisque Tuis.  
Maeste Tuis cœptis! studium solare laborans,  
Nam labor in DOMINO nullus inanis erit.

*Ita DN. RESPOND. gratul.*

*ÆGIDIUS STRAUCH, S.S.  
Theol. D. P. P.*

---

**S**iccine KETTNERUS Doctorum pulpita scandit,  
Deq; Libro Vita verba diserta facit?  
O Decus Eusebies, magni PATRIS æmule FILII!  
O Scriptum solidò charius ære mihi!  
Gratulor hos Ausus! Ita pergito, clare MAGISTER,  
Et spes Patriæ Gloria magna Tuæ.

*Gratulab. fec.*

*M. ANDREAS Müller/Pomeranus,  
Eccl. Witteb. Diaconus.*

*Omnes*



**O**Mnes dispareunt libri, KETTNERE, quid ergo  
Differis aeternum posse manere tamen?

Scilicet hunc statuis tineas non rodere librum,

Quem nec Grajorum Bibliotheca capit.

Gratulor hanc mentem. Tu perge inscribere VITÆ

Huic LIBRO nomen, perge subinde tuum.

Amici & Convictoris plur. honorandi

felicibus ausis ita acclamare volo

M. HENRICUS Gröfelmann/Dortmundâ-Westph.

**V**ox quondam è cœlo subito delapsa: beati,

I, scribe, in Domino qui moriuntur, ait.

Nempe illa æterni vox est annuncia libri

Quem diâ decorat litera scripta manu.

Hunc, KETTNERE, unum Tibi cura est volvere librum,

Ut pateat, multos Te volvisse libros:

CL. DN. M. RESP. Disputationis Autori,

meliori animo quam versu applaudie

JOHANNES FECHT, Sulzbergâ-Brisgous.

Ad Clarissimum & Pereximium DN. AUTOREM,

ex

Nominis omine bono;

M. KETNER. מקטנר

per

Albam ex parte Rasche Theboth:

בחר גליון טלר

Electus libri Agni

\* \* \*  
אשר כתב את-כר אנשים

בספר טובים או רשעים

לך שם נתן על ספרים

אשר בם יקרא לחיים

מתקן הוציא כי לך כאותורת

שמך אשרי אשרי לקרורת

בחר גליון תם לטלר

תהי ער-כר עולם במנלר::

Gratulabundus dedi, idq; postulante amicitie dulcis jure

DANIEL COLBERG, Dantisc. S. S. Theol. Stud.

Ad

Ad Præclarissimum Dominum Respondentem  
Dilp. h. Auctorem.

**E**T philyris, libroq; librum, Niliq; carentem  
Munere perpendis. *Quantus is ipse liber!*  
*Ingens, æternus, liber hic labor ipse Jehovæ,*  
*Sanctus, Sanctorum nomina sancta ferens.*  
*Hic vitam spondet morituris; sed morituris*  
*In Domino. Felix, quem liber ille tenet!*  
*Te tenet, & dudum Tibi Cœlica regna reponit;*  
*Te KETTNERE tenet, cognitus ipse Tibi.*  
*Cognitus ipse Tibi sacro duce Teste, notescit*  
*Te duce multorum mentibus hicce liber.*  
*Applaudo cœptis! Sic perges, Portio nostri*  
*Cordis! Sic pergas! Palma parata Tibi!*

Pauculis hisce

Affectum suum erga Præclarissimum Dominum Respon-  
dentem, Amicum Suavissimum, Consalinum dul-  
cissimum testari voluit,

*SALOMON MÖLLERUS, Dant. SS. Th. Stud.*

**V**irtus tibi diviniore conscia  
Ortûs, fororq; siderum non serpere  
Inter putres fungos amat: declivia  
Nec vallium, sed summa semper expetit,  
Res arduasq; nititur, quæ indaginis  
Sunt altioris, sedulo scrutarier.  
Idem videtur comprobare vivida,  
KETTNERE, virtutis Tuæ rara indoles,  
Quæ de LIBRO VITÆ librum contexere  
Gavisa, materiâ profectò non minus  
Perarduâ, quàm nobili. Quondam clues,  
Si sic olympicum perennè pulverem  
Movere perges, atque cinctus laureâ  
Vigebis in Faniæ theatro, denique  
Nomen Tuum visurus in VITÆ LIBRO.

*Hisce Clarissimo atq; Per-Eximio Domino Respondenti, Fautori,*  
*Affini atq; Contubernali suo singulariter honorando*  
*applaudere voluit, debuit*

*JOHANNES CAROLUS NÆVIUS, Chemn. Misn.*

05 A 950

3

**ULB Halle**  
003 761 509




1072

Del.







D. T. O. M. A.

ספר חיים

# LIBER VITÆ

factaq; ab æternô

## IN EUNDEM INSCRIPTIO,

Disquisitione publicâ Theologicâ,

*SUB PRÆSIDIO*

*VIRI Maximè Reverendi, Magnifici, Amplissimi  
atq; Excellentissimi,*

### DN. JOHANNIS MEISNERI,

Doctoris Theologi, Prof. Publ. celebratissimi, Venerandi Collegii Theologici Senioris, Templi omnium Sanctorum Præpositi gravissimi, Synedrii Ecclesiastici Adfessoris dignissimi, meritissimi &c.

*Dn. Patroni, Præceptoris, Hospitis ac Promotoris sui*  $\mu\alpha\lambda\theta\epsilon\sigma\acute{\iota}\tau\epsilon\varsigma, \epsilon\upsilon\pi\mu\omicron\zeta\acute{\iota}\tau\epsilon\varsigma,$

In Electorali Wittebergâ proponebantur


*AU T O R E*

### M. FRIDERICO KETTNERO,

Stolbergâ-Misnico.

*Addiẽm Decembr. M. DC. LXIV.*

In Auditoriô Majori.



WITTEBERGÆ,

Ex Offic. Typogr. MICHAELIS Wendt.